A aliqui ad Bobienſe monaſterium ſe duci rogaverunt, & poſtulata jam venia, per pœnitentiæ medicamenta illatas pœnas evaſerunt; reliqui omnes in eadem ultione mortui ſunt. *Ex Jona Abbate, Baron. Annal. tom. 8. an. 626. 35.*

---

Idus.

* MENSIUM, *quæ ſingulis acciderunt.*

☞ *Quære locum de* DIE, *ubi Tit. eſt Dierum uſus Chronologicus.*

---

* Jejunium.

## DEFINITIO, ET DIVISIO.

JEjunium, Græcè νηστεία, eſt abſtinentia ciborum; & per metaphoram transfertur ad ceſſationem à vitiis. Deducitur autem à νηστεύειν, quaſi νηεσθίειν, id eſt, non edere; unde Latinum nomen Inedia.

Accipitur vox Jejunii 4. modis, unde & quadruplex Jeju-
B nium oritur.

Spirituale, quo à vitiis abſtinetur, quod appellat *Auguſt.* Jejunium magnum *Tract. 17. in Joan.* eſtque acceptio metaphorica.

Morale, eſtque parſimonia cibi & potus, quam etiam duce natura Philoſophi approbarunt: de quo *Vide S. Hieron. lib. adverſ. Jovinian.*

Naturale, vocant Theologi abſtinentiam ab omni prorſus cibo aut potu quavis ratione ad ſtomachum tranſmiſſo; quod jejunium præcipitur ſumpturis corpus Dominicum, & id Spiritu S. inſtinctu, ut loquitur *S. Aug. epiſt. 118.*

Eccleſiaſticum, de quo vox Jejunii communiter accipitur; eſtque abſtinentia cibi juxta regulam ab Eccleſia præſcriptam, quæ habet, ut ſit tantùm unica refectio de die, eaque olim cœna, non prandium; idque etiam in veteri teſtamento obſervatum conſtat, *Judic. 20. 2. Reg. 1. & 3.* Protrahebant etiam primi Chriſtiani jejunia ſua in horam nonam veſpertinam, cujus rei multa teſtimonia producit, *Card. Bellarm. t. 4. controv. lib. 2. c. 2. de bonis operibus in particulari.* Abſtinebatur à certis cibis, ac potiſſimùm carne vulgo dicta, ovis, lacticiniis: in
C quibus ſervanda eſt Eccleſiæ conſuetudo, & varius uſus locorum.

☞ *De hoc ciborum delectu, Vide quæ fusè dicta fuerunt in loco de Cibo, Tit. Delectus Ciborum Eccleſiaſticus.*

## JEJUNII PRÆCEPTUM.

Deus per Joelem pœnitentibus ſecundò imperat jejunium cum flectu & planctu; quæ præceptio moralis eſt, ad omnes ſe extendens, *c. 2.* Chriſtus *Matth. c. 6.* tradit modum jejunandi, dicens: Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, &c. præſupponit igitur aliquando jejunandum, & loquitur de jejunio propriè dicto, non verò de abſtinentia ſola, & victus moderatione.

*S. Aug. ep. 86. ad Caſulanum:* Ergo, ait, Apoſtolicis litteris & Euangelicis, totoque inſtrumento quod novum appellatur, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium. Quibus autem diebus oporteat vel non oporteat jejunare, non invenio ibi definitum. Itaque ad Eccleſiæ Paſtores id ſpectat, pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ, decernere.

## INSTITUTIO, OBLIGATIO, &c. OBSERVATIO DEO GRATA.

D Lege Eccleſiaſtica indicta jejunia tenentur fideles in conſcientia obſervare, ut docent omnes cum veteres, tum recentiores Theologi; eſtque illius obſervatio pars divini cultus. *Vide S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2.* & Theologos *in 4. ſent. diſt. 15.* & interpretes Juris Canon. *In rubr. de Obſervat. Jejunior.* Omnia autem jejunia Eccleſiaſtica ſunt jure humano inſtituta, ſub quo etiam comprehenduntur, ordinationes ab Apoſtolis ceu Eccleſiarum Rectoribus factæ: à quibus jejunium quadrageſimale dimanavit, ut docent paſſim omnes veteres.

In Eccleſia veteri habemus jejuniorum inſtitutionem Deo gratam extitiſſe, ac primùm quidem laudantur filii Jonadab apud Jeremiam *c. 35.* quòd patri ſuo obedierint, qui illis interdixerat vinum uſque in ſempiternum.

*Heſter. c. 9.* ex inſtitutione Mardochæi, Judæi omnes ſervabant jejunium in memoriam liberationis ab Aman perſecutione.

Apud *Zachariam c. 8.* fit mentio jejunii 4. 5. 7. & 10. menſis, quæ tamen non fuerunt indicta, niſi per eos qui Rempub. adminiſtrabant, & nihilominùs omnes iis obligabantur.

In novo Teſtamento *Act. cap. 15.* Apoſtoli interdixerunt E
eſum ſanguinis & ſuffocati, quæ dudum etiam nunquam uſurparunt primi Chriſtiani.

☞ *Vide etiam infrà, Violati Jejunii pœna.*

## * TEMPORA, ET EORUM CAUSÆ.

Eccleſiam providè tempora certa jejuniis determinaſſe, ex fine jejunii colligi poteſt; ſuntque univerſim LVI. dies, quibus ex præcepto jejunatur; alibi tamen ex conſuetudine plures.

## QUADRAGESIMA.

Jejunium Quadrageſimale verno tempore ante ſolemnitatem Paſchalem indicitur, ut præparati ad tantæ ſolemnitatis celebritatem accedant omnes; utque caro tunc ſubdatur ſpiritui, maximè eo tempore, quando ob ſanguinis augmentum, maximè accenditur fornax concupiſcentiæ, ac humores augentur, ſic ut tum vel maximè ſalubre reputetur.

Durat autem diebus XL. ob varias iſtius numeri myſticas ſignificationes. Diebus enim XL. diluvium inundavit mundum, & expiavit: totidem jejunavit Moyſes in deſerto, ut legem acciperet: Elias fugiens Jezabelem: totidem annis filii Iſrael fue- F
runt in deſerto: Chriſtus etiam diebus XL. jejunavit. Denique hac ratione velut Deo decimas perſolvimus dierum anni qui 365. cujus numeri pars decima, dies XXXVI.

Olim autem Quadrageſima tantùm conſtabat 36. diebus, Teleſphorus Papa addidit ſeptimam hebdomadam pro Clericis, ut conſtat *cap. ſtatuimus diſt. 5.* At illa lex abolita eſt contraria conſuetudine, & obtinet nunc conſuetudo inchoandi jejunium Quadrageſimæ à Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ.

Inſtitutionem autem Quadrageſimæ fuiſſe Apoſtolicam, & à tempore Apoſtolorum obſervatam, omnium veterum ſententia eſt. Imò *Aug. ep. 119.* Quadrageſima jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit: & *Ambroſ. epiſt. 82.* Quadragenarius jejunii numerus, non ab hominibus conſtitutus, ſed divinus eſt conſecratus; nec terrena cogitatione inventus, ſed cœleſti majeſtate præceptus eſt, *ſerm. 36.* Illis autem antiquior S. Ignatius, Quadrageſimam, ait, nolite deſpicere, *epiſt. ad Phil.* Meminit ejuſdem *Clemens in conſtit. Apoſtolicis lib. 5. c. 3.* Legatur *S. Hieron. in cap. 29. Ezechiel. Ambroſ.* G
*ſerm. 23. 24. 25. Greg. hom. 16. in Euang.*

☞ *Quomodo obſervata, Quære infrà, inter exempla.*

☞ *De Jejunio verò Quadrageſimali, Vide quæ dicentur Loco proprio de Quadrageſima.*

## QUATUOR TEMPORA.

Jejunium quatuor temporum reſpondet IV. anni partibus, quibus inſignes mutationes fieri conſueverunt aeris & corporum. Olim tribus tantùm jejunabatur. *Calixtus I. epiſt. 1.* quartum adjecit, ut habetur *c. 1. Jejunium diſt. 76.* Quibus autem temporibus fieri debeat, ſtatuit *Vrban. I. cap. 4.* & apud Covarruviam *lib. 4. var. c. 20. n. 9.* Primam originem ab Apoſtolica traditione deducit *Bellarm. ſupra cap. 19.*

## FERIA IV. VI. ET SABBATUM.

Etiam illis diebus olim jejunabatur, ſi non rigidè ſub peccato, certè tamen abſtinendum fuit à carnibus, quamvis conſuetudo abrogaverit feriam IV. De Sabbato autem ita ſcribit *S. Auguſt.*

Alia verò jejunia, quæ pro loco terrarum, regioniſque variantur, ſicut eſt, quòd alii jejunant ſabbatum, alii nona: alii verò communicant quotidie corpore & ſanguine Domini, alii H
certis diebus accipiunt: & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt: totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes: quod enim neq; contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum: & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate conſervandum eſt. *Ad Januar. & hab. in decretis, diſt. 12. can. illa autem, §. Alio verò.*

Mater mea Mediolanum me ſecuta invenit Eccleſiam ſabbato non jejunantem. Cœperat fluctuare, quid ageret. Tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ Ambroſium Epiſcopum. At ille ait, Cum Romam venio ſabbatum jejuno: cum Mediolani ſum, non jejuno. Sic & tu, ad quamcumque Eccleſiam fortè veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt. *Ibid. & hab. eodem can. §. Mater.*

Nihilominùs Gallia & Belgio, non modò non jejunatur ex præcepto in Sabbato, niſi aliud in eo occurrat impedimentum, puta vigiliæ aut ſimile; ſed inſuper invaluit ibidem con-



A conſuetudo quæ hodie laudabilis habetur, & ab Eccleſiæ Prælatis etiam uſurpatur, omnibus Sabbatis inter Domini natalem, ejuſque in templo oblationem, ſive toto Mariani puerperii tempore, intermittendi uſum piſcium, ac liberè veſcendi carnibus. Quam quidem piam conſuetudinem introductam volunt ob honorem puerperii, quod omnibus ſordibus, & ſecundinis caruit, cujus aliquando contrarium aſſerere non erubuerunt quidam hæretici, Mariano partui & puritati detrahentes: in quorum deſpectum Catholici virginalis integritatis defenſores, conſuerunt lætioris epuli refectione tam hanc quàm illum venerandum, & recognoſcendum. Ad eum modum quo abſtinentia à carnibus locum non habet ipſo die Nativitatis Dominicæ, in quamcunque feriam hebdomadæ inciderit, ut ſtatuit *Leo I. epiſt. 43. ad Turibium.*

Hanc autem conſuetudinem ea quæ præfertur occaſione inchoatam, fortaſſis non ſine omni culpa initio fuiſſe, plerique contendunt; tamen poſtmodùm habitum fuit, per eam abrogatam generalem Eccleſiæ legem, qua Sabbatis indicitur abſtinentia à carnibus. Quin volunt plerique acceſſiſſe tandem indultum Apoſtolicum, cujus tenor Romæ nuper exhibitus
B perhibetur ſub Sixto V. in patrocinium cujuſdam Germani, qui cum aliis combibonibus, Sabbato, tempore puerperii B. Virginis, caponem ſibi apparari abſque debita diſpenſatione juſſerat, fretus, ut aſſerebant cauſidici, privilegio aliquando Belgis ab Apoſtolica Sede conceſſo.

## VIGILIÆ.

Etiam alibi non habent omnia feſta Apoſtolorum vigilias, nec jejunia, etiamſi fortè aliquando habuerint. Rationem aliquam reddere videtur *Barthol. Camerar. c. 3. Dial. de Jejunio.* Et quidem de feſto S. Bartholomæi, quòd non conſtet de die obitus ipſius, cum exiſtimetur corio detracto ad alterum diem ſupervixiſſe. SS. Thomæ & Mathiæ vigilias abrogatas inquit, quòd illi dies plerumque occurrant tempore Quadrageſimæ & Adventus, quibus ex æquo olim jejunabatur. S. Jacobi verò diem jejunium prævium non habere, vult idem Camerarius, quòd occiſus exiſtimetur in diebus azymorum. Sunt qui contendant, olim inter Epiſcopos Leodienſem & Cameracenſem, qui univerſum Belgium complectebantur, conventum, ut quælibet diœceſis ſenos Apoſtolos jejunio ſive vigilia veneraretur. Sed uſus docet, id à veritate alienum eſſe,
C & utrobique celebrari eodem cultu pleroſque eorum.

De præcepto igitur univerſalis Eccleſiæ jejunantur vigiliæ Nativitatis Domini, Aſſumptionis Deiparæ, Apoſtolorum quorumdam. Item ex conſuetudine generali, omnium Sanctorum, Jo: Baptiſtæ, Laurentii, Pentecoſtes. Intra tempus Paſchale nullum eſt jejunium propriè, niſi quòd in die S. Marci & Rogationum abſtineatur à carnibus, & jentaculo, ut dicemus infrà. Etiam Epiphania Domini vigiliam de more habet, ſed non abſtinetur. De prioribus autem videat Lector *Commentarium Jo. Mald. Epiſc. Antverp. in primam ſecundæ, qu. 97. art. 3. memb. 2.*

## DIES DOMINICA.

Die Dominico quamvis licitum ſit jejunare, multoſque Eremitas jejunaſſe conſtet in Vitis Patrum: tamen Eccleſia tum nulla indixit jejunia propter Manichæos, qui Dominicis jejunabant ex errore, ne viderentur gaudere de Chriſti reſurrectione, quam falſam fuiſſe ſibi perſuadebant; ut cognoſci poteſt ex *Ambr. epiſt. 83. Auguſt. epiſt. 86.*

Eustatius quoque & Aerius, diem Dominicum deputabant jejunio: & contra Aeriani hebdomadam ſanctam con-
D viviis tranſigebant, ut docet *Epiph. hæreſi 75. & Socrat. lib. 2. hiſt. cap. 33.* Priſcillianiſtæ quoque die Dominico, & in Natali Domini jejunabant, ut *S. Leo teſtatur epiſt. ad Turibium.*

## ADVENTUS DOMINI.

Etiam Adventum Domini jejunari conſueviſſe in Eccleſia Romana, perſpicuum eſt, tum ex *cap. conſilium*, quod eſt Innocentii III. *de Obſerv. jejunior.* tum ex Breviario, in quo ad Horas aſſignantur preces, quæ in die jejunii aſſignantur. Cæterùm non ex præcepto, ſed conſilio aut devotione hoc jejunium ſervatur. *Vide Radulphum de Rivo, lib. de Canon. obſervantia, cap. 16.*

## FERIÆ ROGATIONUM.

Jejunium tridui ante Aſcenſionem, inſtituiſſe ferunt S. Mamertum Viennæ Epiſcopum, ut ſcribit *Greg. Turonen. lib. 2. hiſt. Francor. cap. 34.* propter depulſionem plurium periculorum, quæ Gallia eo tempore à luporum incurſibus & terræmotibus patiebatur.

Deinde in Concil. Aurelianenſi, idem jejunium receptum legimus *cap. 29.* Ordo Romanus, qui liber eſt antiquiſſimus, idem jejunium tanquam uſu receptum memorat, & in eo ci- E
bos Quadrageſimales præſcribit.

Cæterùm ſervanda hìc locorum conſuetudo, alibi enim jejunium non eſt, quòd inter Paſcha & Pentecoſten de jure nulla ſint jejunia.

Extat *ſermo de inſtitutione Rogationum* Alchimi Aviti Viennenſis Epiſcopi, qui fuit tertius à Mamerto.

☞ *Pete multa ex loco de Rogationibus.*

## * JEJUNII FINIS, ET COMMODA.

Carnales & Epicurei noſtri hæretici rident Catholicorum jejunia, & præſertim delectum ciborum; & quamvis admittant quædam illius commoda, tamen inutile cenſent ad placandum Deum. E contra Eccleſia canit: Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. *In Præfatione Quadrag.*

Igitur jejunium utile eſt, imò unicum antidotum efficaciſſimum ad carnem domandam, ejuſque tentationes ſuperandas. Ita eleganter *Cyprian. ſerm. de Jejun. Baſil. orat. 1. de Jejunio, Auguſt. tom. 9. de util. Jejunii*, ait enim:

Jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ F
nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. *Aug. in ſerm. de Jejunio.*

Jejunium verboſitatem non amat, divitias ſuperfluitatem judicat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat. Præſtat homini ſeipſum intelligere; quod eſt firmum & fragile. *Idem.*

Ypericius Abbas percontanti, Quid eſſet jejunium, Frænum, ajebat, Monachis adverſus peccatum: Qui autem illud abjicit, velut equus furens, deſiderio fœminæ rapietur. *In vitis PP. part. 2.*

Senſus internos & externos acuit, atque intellectum ſerenat, conſumptis omnibus humoribus caput & cerebrum obtundentibus; de quo *Vide Chryſoſt. hom. 2. in Geneſ. & Leonem ſerm. 2. de jejunio decimi menſis.* Unde etiam aliud commodum dimanat, quòd animam præparet ad divinas illuſtrationes, aliaque Spiritus S. chariſmata; de quibus *Cypr. ſuprà.*

Avertit mala impendentia, & pro reatu peccati ſatisfacit, ut conſtat exemplo Ninivitarum *Jonæ 3.* Regis Acab *3. Reg. 21. & alibi.* Prophetæ in hunc finem jejunium prædicarunt. G

Denique eſt meritorium vitæ æternæ, ut patet ex *c. 6. Mat.* & in antiqua lege Rechabitis promittitur luculenta merces, quòd patri obedíviſſent, abſtinendo à vino. *Jerem. cap. 35.* & *Tob. 12.* Angelus dicit, orationem cum jejunio & eleemoſyna eſſe magis bonam, quàm theſauros auri recondere.

Adhæc jejunium corpori præſtat bonam valetudinem, tollit cauſas morborum, & longævitatem donat, ut innumeris exemplis docemur illorum, qui auſteram vitam in ſumma abſtinentia duxerunt, & annos ſuos extenderunt uſque ad C. & plures. Noviſſe ſe monaſterium ſanctimonialium adfirmat *P. Leonar. Leſſius Tract. de Juſt. & Jure lib. 4. c. 2. dub. 10.* tenuiſſimo & parco victu utentium, ubi ſeptuagenariæ & ſexagenariæ nondum inter ſeniores cenſentur. Ita obtinet illud Sapientis: Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam. *Eccl. cap. 37.*

## * JEJUNII, ET A CERTIS CIBIS, CERTO ETIAM TEMPORE ABSTINENTIUM.

### EXEMPLA S: SCRIPTURÆ.

Præcepit Dominus Adam, dicens: Ex omni ligno paradiſi H
comede, de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quo abſtinentia commendatur, dum non omni cibo voluit hominem uti in paradiſo. *Gen. 2.*

Moyses bis fuit in monte cum Domino 40. diebus, & 40. noctibus, & non manducavit, nec bibit. Abſtinentia enim bona diſpoſitio eſt ad percipiendas revelationes divinas, & homo refectus divina conſolatione, ſolet corporales delitias abhorrere. *Exod. 24. & 34.*

Filiis Iſrael præcepit Dominus à multis cibis abſtinere. *Lev. 11.*

Vir ſive mulier, cùm votum fecerint, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni eo quod inebriare poteſt, abſtinebunt. *Num. 6.*

Uxori Manue, liberatorem populi concepturæ, Angelus apparens, abſtinentiam indixit. *Judic. 13.*

Filii Iſrael primò, & ſecundò à filiis Benjamin percuſſi fuerunt, poſteà fleverunt coram Domino, & jejunaverunt die illo, & ſic prævaluerunt in illos. *Judic. 20.* Parvulus Iſrael erat in caſtris eſuriens, & erat mel per agrum, & nullus comedit

A dit de eo, niſi Jonatas filius Saul, qui non audierat, cum adjuraret pater populum, ne comederet. Et tamen voluit eum pater interficere. 1. *Reg.* 14.

Cùm deſideraſſet David aquam de ciſterna Bethleem allatam, poſteà noluit bibere, quia nimis avidè concupierat illam. 2. *Reg.* 23.

Sub Heli Sacerdote bis debellati ſunt filii Iſrael à Philiſtæis, & arca Domini capta eſt: Sed poſteà ſub Samuele jejunaverunt, & victoria ſunt potiti. 3. *Reg.* 4. 7.

Uxor Jeroboam vadens ad Abiam Prophetam, tulit decem panes, & vas mellis: non fit ibi mentio de carnibus, quia ſupponebat, Prophetam non veſci talibus cibis. 3. *Reg.* 14.

Tenuis victus ſufficiebat Eliæ, qui petiit à vidua Sareptana paululum aquæ & buccellam panis. 3. *Reg.* 17.

Notabile eſt, quòd Eliam paverunt corvi carnibus bis in die. Sed Angelus Domini oſtendit ei panem, & vas aquæ ſemel tantùm. 3. *Reg* 17. 19.

Audiens Achab comminationem ſibi factam à Domino per Eliam Prophetam, poſt occiſionem Naboth, operuit cilicio B carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulabat demiſſo capite: propter quod Dominus illam, quam comminatus fuerat, temperavit pœnam. 3. *Reg.* 21.

Congregati ſunt filii Moab & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ut pugnarent contra Joſaphat Regem Juda. Quod ille audiens, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium in univerſa Judæa. Sequitur, quòd victoriam obtinuit. 2. *Par.* 20.

Eſdras prædicavit jejunium, & fecit quòd omnes affligerent animas ſuas, quia petierant à Domino, ut viam rectam & proſperam daret eis. Sequitur: Jejunavimus & rogavimus Dominum pro hoc, & evenit nobis proſperè. *Eſdr.* 8.

Rogaturus Nehemias Artaxerxem Regem pro civitate ſancta, ut muri ejus poſſent reparari, dicit de ſeipſo: Jejunabam & orabam ante faciem Dei cœli. *Nehem.* 1.

Convenerunt filii Iſrael in jejuniis, & in ſaccis, & humo ſuper eos, &c. Et ſteterunt, & confitebantur peccata ſua, & legerunt in volumine legis. *Nehem.* 9. & 15.

Cùm eſſet factum prandium bonum in domo Tobiæ, & audiens Tobias, unum de filiis Iſrael jugulatum jacere C in platea, relinquens prandium, jejunus venit ad corpus. *Tob.* 2.

De Tobia juniore & ſocero ejus ac cæteris amicis dicitur: Cum timore Domini convivia nuptiarum exercebant. Angelus etiam poſteà dicit utrique Tobiæ: Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna. *Tob.* 9. & 12.

Audientes filii Iſrael terribilem potentiam Holofernis, humiliaverunt animas ſuas in jejuniis. *Judith.* 4.

De Judith etiam dicitur, quòd jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & feſta, & Neomenias domus Iſrael. *Judith.* 8.

Alloquutura Regem Aſſuerum dixit Eſther Mardochæo: Congrega omnes Judæos, quos in Suſis reperies, & orate pro me: non comedatis & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo. *Eſth.* 4.

Commendatur à Domino abſtinentia Rechabitarum, quia noluerunt bibere vinum, ſicut præceperat eis pater eorum. *Jerem.* 35.

Baruch legit verba libri ſui ad aures Jechoniæ filii Joachim D Regis Juda, & ad aures popoli univerſi: qui audientes plorabant & jejunabant, & orabant in conſpectu Domini. *Baruc.* 1.

Duram diætam impoſuit Dominus Ezechieli Prophetæ, dicens: Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam, &c. *Ezech.*

Propoſuit Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa Regis. Sequitur, Pueris illis dedit Dominus ſcientiam, & diſciplinam, &c. *Dan.* 1.

De ſeipſo loquens Daniel, ait: Poſui faciem meam ad Dominum Deum, rogans & deprecans in jejuniis, ſacco, & cinere. Et tunc percepit ſpecialem revelationem de incarnatione, de paſſione, & occiſione Chriſti, &c. *Dan.* 10.

Daniel per tres hebdomadas panem deſiderabilem non comedit, caro & vinum non introierunt in os ejus, & nunc mirabilem oſtendit ei Dominus viſionem. Gregorius in homilia Pentecoſtes dicit, quòd Spiritus S. abſtinentem implevit puerum, & Prophetam judicem ſenum fecit, ſicuti apparet. *Dan.* 10.

Panem & pulmentum miſit Dominus per Prophetam Habacuc Danieli poſito in lacu leonum, non carnes aut alia ciba- E ria delicata. *Ibid.* 14.

Eleazarus, vir ætate provectus, maluit occidi crudeli morte, quàm carnes porcinas contra legem manducare, vel etiam ſimulare ſe comediſſe. 2. *Machab.* 6.

Contigit, ſeptem fratres cum matre eorum compelli à Rege, carnes porcinas contra legem manducare: illi verò magis elegerunt crudeliſſima tormenta ſuſtinere. 2. *Machab.* 7.

De B. Joanne Baptiſta dicitur, quòd ejus eſca erant locuſtæ & mel ſylveſtre. *Matth.* 3.

Multam abſtinentiam in cibo & potu dicebatur facere, quaſi non manducans nec bibens; ſcilicet Joannes. *Matth.* 11.

Anna Prophetiſſa, filia Phanuel, inter cætera commendatur, quòd non diſcedebat ex templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte. *Luc.* 22.

Salvator noſter poſt baptiſmum ſtatim ductus eſt in deſertum, & ibi jejunavit, donec eſuriret. Contra illos qui jejunant cum fœditate conſcientiæ, vel qui nolunt tempore jejunii eſuriem ſuſtinere. *Matth.* 4. *Luc.* 4.

Ad commendandam ſobrietatem, quæ eſt in eſu piſcium & in abſtinentia à carnibus, multùm facit, quòd Dominus in F Euangelio pluries multiplicavit piſces, non carnes. Unde ad præceptum Domini concluſerunt diſcipuli multitudinem piſcium copioſam. *Luc.* 1.

Præterea panes & piſces bis multiplicaſſe legitur, nunquam carnes. De quinque panibus & duobus piſcibus, *Marc.* 6. *Luc.* 9. Item de eodem, *Joan.* 6. De ſeptem panibus & paucis piſciculis ab ipſo Domino multiplicatis habetur, *Matth.* 15. *Marc.* 8.

Poſt reſurrectionem etiam, ſeptem diſcipulis piſcantibus, & non prandentibus, manifeſtavit ſe Salvator, dicens: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Sequitur, quòd extraxerunt rete plenum magnis piſcibus, & de piſcibus illis dedit Dominus diſcipulis ſuis. *Joan.* 21.

Populo autem Judaico tanquam carnali, & de carne curanti, dedit Deus carnes ad veſcendum, licèt in malum ipſius. *Exod.* 16.

Multùm valet abſtinentia ad hoc, quòd homo poſſit vigilare faciliùs, & orare. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

Nam poſt cœnam increpavit Dominus diſcipulos ſuos, dicens: Non poteſtis una hora vigilare mecum? *Luc.* 24. G

Salvator noſter, cujus actio eſt noſtra inſtructio, nunquam legitur carnes comediſſe, niſi de agno Paſchali: de piſce verò ſibi allato ad manducandum comedit. *Joan.* 21.

Mittens Dominus diſcipulos ad prædicandum, dixit: In quamcumque domum intraveritis, & edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt: Hoc eſt, ut eſſent contenti cibariis quæ haberent, non curioſa alia quærerent. *Luc.* 10.

Volens Petrus rationabiliter oſtendere, quòd diſcipuli Spiritu S. pleni, non eſſent ebrii, dicit, quòd adhuc non erat hora diei tertia. Dans intelligere, quòd ante horam tertiam eſſet inconveniens manducare. *Act.* 2.

Cum eſuriret Petrus in domo Simeonis Coriarii, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, &c. In qua etiam viſione, oblata ſunt ſibi animalia, ſecundùm legem vetita. Qui comedere renuit, quamvis, ut dictum eſt, eſuriret. *Act.* 10.

Erant in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, &c. Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus illis, dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Paulum, &c. *Act.* 13.

Paulus & Barnabas cùm conſtituiſſent in diverſis civitati- H bus per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. *Act.* 14.

## * EXEMPLA HISTORICA.

### Quadrageſimæ obſervatæ.

SIMEONEM STYLITEM referunt hiſtoriæ SS Patrum, XXVIII. Quadrageſimas abſque cibo & potu tranſegiſſe, Chriſtique quadragenarium jejunium toties imitatum fuiſſe.

Admiratione dignum eſt, adeò religioſum, ac ſacrum habitum eſſe ejuſmodi quod Paſcha præcedit jejunium, ut & Reges illud implere pro viribus non prætermiſerint. Procopius enim hæc teſtatur de Juſtiniano Imperatore: Omnibus, inquit, illis diebus, qui Paſcalem ſolemnitatem præcedunt, jejunio addictus, duram quandam vitam egit, nedum Regali alienam, ſed neque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abſtinebat: ſummo mane itidem è lecto conſurgens, Reipubli-



A cæ invigilavit, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minùs nocturnum tempus implevit: nam in ſeram noctem lectum petens mox ſurrexit, quaſi plumarum pertæſus. Cibi appetens, vinum, panem, & alia id genus cibaria abeſſe voluit; braſſicam ſolùm, & agreſtes herbas longo tempore ſale & aceto maceratas edebat; potus aqua erat ſola; neque his ad ſaturitatem utebatur, ſed petitum cibum pauliſper deguſtatum mox dimiſit, non eo ſumpto, quod naturæ ſatis erat. *Procop. lib.* 1. *de ædific. Juſtinian. Imp. apud Baron. tom.* 1. *an.* 30.

D. HIERON. de Aſella ſanctiſſima Virgine, ejuſmodi ad Marcellam ſcribens adfert exemplum, dicens: Cùm per omnem annum jugi jejunio paſceretur, biduo triduoque ſic permanens, tum verò in Quadrageſima navigii ſui vela tendebat, omnes pene hebdomadas vultu lætante conjungens: & quod impoſſibile forſitan eſt hominibus ad credendum, Deo autem præſtante, poſſibile eſt; ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret ſtomachus, non viſcerum cruciaretur injuria, non ſicca humus, in qua cubabat, jacentia membra conficeret, non ſacco aſperata cutis fœtorem ſitumque contra- B heret; ſed ſano corpore, animo ſanior, ſolitudinem putaret delicias, & in urbe turbida eremum inveniret monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occaluiſſe reperta eſt. *D. Hier. epiſt.* 15. *ad Marcellam.*

Hoc loco minimè prætereundum, quod Byzantii, tempore Juſtiniani Imperatoris, dum ibi fames increbreſceret, accidit. Cùm enim Imperator animadverteret ingentem rerum inopiam, præcipuè per totam Thraciam, ſecunda ſtatim jejunii hebdomade carnes in foro venales proponendas promulgavit. Et hoc quidem ſic per vim actum. Populus autem, qui pietatem ſibi conſectandam ſtatuiſſet, neque eas emebat, neque edebat, mortem ſibi potiùs adeundam eſſe cenſens, quàm ut quidquam de patriis moribus & traditionibus mutaret. *Niceph. lib.* 17. *hiſt. Eccl. cap.* 32. *Baron. tom.* 4. *an.* 362. 42.

S. LAURENTIUS JUSTIN. Venetiarum Protopatriarcha, cùm medicus eum laborantem, jam fermè ſeptuagenarium, ad edendas carnes invitaret Quadrageſimæ tempore, petivit, an abſtinere poſſet ſine vitæ periculo. Quum ille non negaſſet, ſubjunxit: Me, ut verum fatear, valdè delectant veterum exempla Sanctorum. Et adduci non potuit, ut veſceretur carnibus C & ſeptuagenarius & ægrotus. Tanta religione quondam à piis viris quadrageſimale jejunium exactè cuſtodiebatur. *Bern. Juſtin. in vita ejus apud Sur.* 8. *Januarii.*

Venantii quondam Patricii Samnii partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit. Qui ab annis puerilibus ad amorem cœleſtis patriæ per abſtinentiam exarſit. Cumque tam magna converſatione polleret, ſeque jam ab otioſo quoque ſermone reſtringeret, multùmque per abſtinentiam carnem domaret, die quadam parentes ejus vicinis ſuis convivium fecerunt, in quo ad veſcendum carnes paratæ ſunt: quas dum ille ad eſum contingere per abſtinentiæ amorem recuſaret, cœperunt eum parentes ejus irridere, ac dicere: Comede, nunquid piſcem in his montibus tibi allaturi ſumus? Illo verò in loco piſces audiri conſueverant, non videri. Sed cùm his ſermonibus Honoratus irrideretur, repentè in convivio aqua ad miniſterium defuit, & cum ſitula lignea, ſicut illic moris eſt, mancipium ad fontem perrexit: dumque hauriret aquam, piſcis ſitulam intravit. Reverſumque mancipium ante ora diſcumbentium piſcem cum aqua fudit, D qui ad totius diei victum Honorato potuiſſet ſufficere. Mirati ſunt omnes, totaque illa parentum irriſio ceſſavit. Cœpere namque in Honorato mirari abſtinentiam, quam ante deridebant. *D. Greg. lib.* 1. *Dialog. cap.* 1.

## FERIÆ IV. ET VI. JEJUNIUM.

De Theodoſii quoque Imperatoris in jejunando obſervantia, ex Socrate iſta accipe: Primùm tametſi in ipſa regia natus educatuſque erat, nil tamen ex illa educatione omninò contraxit mollitiei, tarditatiſve; ſed adeò ſolers & prudens fuit, ut illis, qui cum eo ſermones conferebant, multarum rerum experientiam conſecutus videretur. Deinde tanta corporis & animi tolerantia fuit, ut tum algorem, æſtumque forti & virili animo ſuſtineret, tum crebrò jejunaret, & maximè diebus Mercurii & Veneris, quas Græci *τετράδας καὶ παρασκευὰς ἡμέρας* vocant. Atque hoc ab eo factum fuit, dum Chriſtianam vivendi rationem cumulatiſſimè expetere contenderet. Ejus Regia non diſſimilis fuit monaſterio: nam primo diluculo ille ipſe cum ſororibus ſuis hymnos alternatim decantatos recitavit. *Sur. lib.* 7. *cap.* 22. *apud Baron. tom.* 5. *Annal. an.* 415.

## APOPHTHEGMATA. E

Quantæ verò utilitatis ſit cum bona rectique conſcia mente jejunium, crebriùs inculcatum à Leone accepimus. Cui in ore ea vox: Parùm fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur. Hinc in quadrageſimali Hymno canit Eccleſia:

*Sic corpus extra conteri*
*Dona per abſtinentiam,*
*Jejunet ut mens ſobria*
*A labe prorſus criminum.*

*In vita ejuſd. Beyerl. in Apoph. Chriſtianis.*

S. HIERONYMUS etiam Salviam ad hanc corporis caſtigationem cohortatus, Melius, inquiebat, eſt ſtomachum tuum dolere, quàm mentem: imperare corpori, quàm ſervire: greſſu vacillare, quàm pudicitia. *In epiſt. ad eamdem.*

Valet autem in jejunio, quod in aliis virtutum operibus locum habet, illud: Fides libenter accipit, quidquid arduum videtur incredulis; ut de Quadrageſimali jejunio ſcripſit *Auguſtinus*: at noſtri temporis Politici & hæretici, juxta Perſarum & Ægyptiorum inſtitutum (cui adhærere malunt, quàm Ec- F cleſiæ Catholicæ, & SS. Patrum decretis) non niſi propter modeſtiam quamdam, & carnis infrenatæ dominium abſtinent, quocumque tandem die; quibus non minùs ſapienter quàm facetè reſpondit Thomas Morus, Chriſti martyr celeberrimus: Hoc ſi ita eſt, inquiens, nec conjugati facilè jejunabunt, qui facilius remedium in promptu habent: neque etiam virgines, nec impudici juvenes eas à carnis illecebris titillari advertant: denique nihil hoc aliud eſt, quàm ut ſuam quiſque libidinem prodat. *Ex Th. Staplet. in vita ejus c.* 12. *Beyer. in Apoph. Chriſtian.*

☞ *Lege Tit. de Abſtinentia & Caſtigatione Corporis.*

## SACRI JEJUNII VIRTUS, ET EFFECTUS.

### EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Iſraelitæ ſemel ac iterùm à filiis Benjamin debellati, fleverunt coram Domino, & jejunaverunt die illo, & prævaluerunt coram illis. *Jud. cap.* 10.

Iidem ſub Heli ſacerdote bis debellati à Philiſtæis, poſteà ſub Samuele jejunarunt, & victoria potiti ſunt. *Reg.* 4. & 7.

Achab Rex audiens comminationem ſibi factam ab Helia Propheta, operuit cilicio carnem ſuam, & jejunans dormivit in ſacco. Proinde Dominus ab eo pœnam diſtulit. 3. *Reg.* 21.

Judas Machabæus cum ſuis in Maſpha jejunavit centone amictus, & ad Dominum clamans, auxilium contra Antiochi illuſtris tres Duces impetravit. 1. *Mach.* 3.

## HISTORICA.

### JEJUNIUM FERIARUM ROGATIONUM, AD PESTEM AUFERENDAM.

Cum exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec illius flagelli aliquod remedium invenire poſſent: congregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam urbem, atque in commune ſtatuerunt, ut triduanum jejunium facerent. Cumque Dominus peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum Provincias ante Aſcenſionis Domini dies celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum ſumma reverentia & devotione, cum abſtinentia carnis, & humilitate mentis & cordis, ut non ſolùm viſibilium luporum rabiem evadamus; ſed ut inviſibilium, id eſt, ſpirituum H immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus veſtimentis pretioſis induatur, qui in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant, ſed omnes in commune Kyrie eleiſon decantent, & cum contritione cordis Dei miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro avertenda peſte, pro conſervatione frugum, & pro cæteris neceſſitatibus: dies enim ſunt abſtinentiæ, non lætitiæ. *Petrus Caniſ. lib. de doctrina Chriſt. cap.* 3. *de bon. operib. ex Aurelianenſi Conc.*

## JEJUNIO DOMITA CARO.

S. EUPHRASIA virgo ſanctiſſima, duodecim annos nata, piè ſacra ſuſcepit certamina. A veſpera in veſperam interdum jejuna permanebat: biduo etiam triduoque nonnumquam à cibo abſtinebat. Sed mox cœpit dæmonis infeſtationes perpeti. Quod cùm cognoviſſet Abbatiſſa, vocavit illam ad ſe, & ait: Cur non expoſuiſti mihi maligni dæmonis tentationem?

nem? Illa verò ad ejus collapſa pedes: Ignoſce mihi, ait, domina: nam me verecundia retinuit, ne tibi eam aperirem. Dixit autem Abbatiſſa: Quandoquidem jam pugnare cœpiſti cum hoſte, viriliter age, ut poſt victoriam coroneris. Poſt dies non multos iterùm tentata eſt, & ſorori Juliæ, quæ impensè illam amabat, & eam exercebat ad certamina, quid ſibi accidiſſet, aperuit. At illa dixit: Domina mea Euphraſia, ne celes, quæſo, dominam Abbatiſſam, ſed explica ei, ut roget Dominum pro te: Fertur enim multas ab ineunte ætate diabolicas pertuliſſe tentationes, & diebus quadraginta nihil accepiſſe, vel cibi vel potus, ſed immobiliter in precibus perduraſſe ſicque diaboli fraudes & inſidias ſuperaſſe. *In vita ejus apud Sur. Mar.* 13.

## HÆRESIS EXTINCTA.

Dum S. Lutgardis in Aquiria Ordinis Ciſtercienſis monialis, diu noctuque in contemplatione ſine ſomno quieſceret, & pro populi ſalute ardenter oraret, imminente peſte ſæviſſima Albigenſium hæreticorum, beatiſſima Virgo Maria apparuit ei vultu lugubri & obſcurato. Compatiens autem ei in viſione Lutgardis, cum magno cordis, & oris rugitu quæſivit ab ea, quidnam haberet, & unde tantus eſſet faciei pallor & ſquallor, quæ alioqui plena eſſet omnis gratiæ? Cui beatiſſima Virgo reſpondit: Ecce ab hæreticis & pſeudochriſtianis rurſus conſpuitur, rurſus crucifigitur filius meus. Tu ergo aſſume tibi lamentum, & perpetuis ſeptem annis jejunato, ut ſopiatur ira filii mei, quæ generatim univerſo imminet orbi. Itaque toto ſeptennio tale illa ſibi indixit jejunium, ut pane & cereviſia contenta eſſet. *Tho. Cantipr. lib. 2. vita S. Lutgardis c. 2. apud Sur. Tom. Junii* 16.

## MORBI ABLATI.

Lotharius Francorum Rex ſæviſſimo correptus morbo, ad extrema aliquando tendebat. Regina repentino luctu obruta, monilia abjicit, veſtes lacerat, evellit capillos, genas diſcerpit, Regemque haud aliter atque jam extinctum plorat. Turbatur omnis Regia domus: junguntur dominæ lacrymis planctus aulicorum: fit concurſus omnium ad virum Dei Sulpicium; ejus amplectuntur genua, infundunt lacrymis, obſecrant, ut pro ſalute Regis, in ſupremo diſcrimine conſtituti, preces Deo offerat. Permotus vir ſanctus, faciem lacrymis rigat, tundit pectus, alta trahit ſuſpiria, producit vigilias, conficit ſe jejuniis, perpetuis Deum precibus pulſat. Exactis inde diebus quinque, Regis fit etiam deploratior ſalus. Tum verò orant aulici virum ſanctum, ut deſinat ſe inedia conficere, paululumque cibi accipiat. At ille: Non comedam, inquit, donec ſalutem Principi obtineam à Chriſto, cui ſervio: Illis contrà aſſerentibus, principem jam penè exhalaſſe, nec debere eum fruſtra ſe inedia tabefacere: vir Domini reſpondit: Ubi ſeptem dies jejunus permanſero, unà cum Principe ſanitati reſtituto cibum capiam. Advenit dies cunctis optatiſſima, implentur ſancti ſacerdotis vota, dicto Regi ſalus repentè redditur, omnium ore ſacerdos prædicatur, & ad Regis convivium honorificentiſſimè evocatur: fecerat enim hæc res charum omnibus & gratum. *In vita S. Sulpicii apud Sur.* 17. *Ian.*

## VITA PROTRACTA.

Cum Stanislaus Hoſius Cardinalis, in omni vita ſua dies jejuniorum ab Eccleſia inſtitutos religioſiſſimè caſtiſſimèque ſervaſſet, ſententiæ ſuæ conſtantiam nec in decurſa ætate ſua immutare voluit. Quamobrem cùm jam ſenex Quadrageſimam, ſumma cum animi alacritate, in ſumma abſtinentia & uſu Quadrageſimalium ciborum tranſigeret, nec poſſet ullis aut medicorum aut quorumcumque tandem precibus & exhortationibus expugnari, ut cibis ſalubrioribus uteretur, dicere ſolebat, propterea ſe jejuniorum dies ab Eccleſia inſtitutos diligentiſſimè ſervare conſueviſſe, quòd vellet longævus eſſe ſuper terram. Scriptum eſſe memorabat: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Pater, inquit, meus, eſt Deus in Cœlis: Mater mea, eſt Eccleſia in terris. Ille præcipit, ut jejunem: iſta præcipit, ut his vel illis diebus, & iſto vel illo tempore jejunem. Utrumque libentiſſimè audio, certamque ſpem concipio, futurum, ut obedientiæ meæ fructum hunc referam, ut ſim longævus, ſicut mihi Scriptura promittit, ſuper terram. *Stanislaus Reſcius de vita ejus c.* 19.

## * JEJUNII SOLUTIO,

### Licita.

*Exempla & Apophthegmata. Ex Apophthegm. Chriſtianorum Laur. Beyerlinck.*

Sylvanus Abbas, in deſerto Scythiæ unà cum Zacharia diſcipulo die jejunii iter faciens, ad cœnobium quoddam divertit: ubi comiter exceptus, manducavit; cumque inde ſecederet, diſcipulum in via bibentem reprehendit, quòd eo potu jejunium ſolveret; qui, Jam uterque illud ſolvimus in cœnobio, ait. Cui ſylvanus; Minimè, inquit: nam illud non jejunii ſolutio, ſed charitatis communicatio fuit. Exiſtimabat itaque poſſe aliquid prægustari in ſodalitio exterorum; eumque morem Ægypti monachis celebrem fuiſſe, auctor eſt Caſſianus. *Sabellic. lib. 2. Ebor. de Caſtig. corp.*

Venerant ad Anachoretam quendam Caſſianus & alii quidam, quos admodùm liberaliter accepit. Rogatus autem, cur in fratrum ſuſceptione regulam jejunii more Palæſtinę non obſervaret; reſpondit: Jejunium ſemper mecum eſt, vos verò non ſemper; & quamvis jejunium res ſit utilis & neceſſaria, in noſtra tamen voluntate eſt: Charitatis autem plenitudinem lex Dei exigit à nobis. *In vitis PP. c. de Hoſpitalit.*

Ejuſdem mentis alius itidem Anachoreta. Diverterant ad eum quoque duo Eremi illius incolæ, quos, licèt ipſe veſperè de more cibum non caperet, humaniter ad cellam & menſam deduxit, dicebatque: Jejunium ſuam mercedem habet. Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet: quoniam propriam voluntatem à ſe abdicat, & mandatum implet, reficiens fratres. *Ibid.*

Neque minori admiratione dignum reor Marcianum Eremitam: qui cùm Anitum ſe inviſentem ad veſcendum hortaretur, & is recuſaret, quòd ante veſperam cibum non ſumeret; Nos quoque, inquit, eamdem quam tu viam amplectimur & vitam: jejunium cibo præferimus, quo etiam ante veſperam non utimur: at charitatem jejunio præſtantiorem ſcimus, utpote quæ lege Divina præcipitur, cùm illud ſit noſtri arbitrii & voluntatis. *Theod. in hiſt. Sanctorum Patrum, c.* 3.

Arguebatur aliquando S. Bernardus, quòd ad hoſpitum adventum extra ordinem cœnaſſet: at, Non ego, inquit, ſed charitas comedit & bibit. *Æn. Sylv. lib. 2. Comm. in Panorm.*

## ILLICITA VIOLATIO JEJUNII. PUNITA Correpta. In Genere.

Monachus quidam junior ſeniorem rogavit, quid eſſet in cauſa, quòd cùm ipſe in congregatione Monachorum degens frequentiſſimè jejunaret, in ſolitudine poſitus, vix hoc ſibi imperare poſſet. Cui ſanctus ſenior, inanis gloriæ vim atque naturam ſolerter attendens; In monaſterio, inquit, Fili, cùm tibi jejunare videbaris, non jejunabas: erat enim aliquid unde paſcebaris, nempè aura inanis gloriæ, quæ tibi propter abſtinentiæ laudem tribuebatur; qua in ſolitudine ſublata, ubi ſpectator defuit, defuit & jejunandi ſtudium. Ex cujus verbis ſatis liquet, quanta intentione opus ſit, ne ad oſtentationem jejunans, jejunii tui mercedem amittas. *Ex Vitis PP.*

D. Gregorius Nazianzenus, virtute præſtans, qui etſi ſtatu humilis, tamen tanquam è celſiori loco vibrare jacula in delinquentes, cùm occaſio opportuna daretur, minimè prætermiſit; non hæreticos ſolùm Eccleſiæ Catholicæ perduelles, ſed & Eccleſiæ quoque filios pravitate morum à diſciplina Eccleſiaſtica aberrantes coercuit. Cùm enim (ut vel unum de his hìc reddamus exemplum) accepiſſet, Eleuſium Præfectum, ſibi familiaritate conjunctum, ab Eccleſia jejunium inſtitutum prætermittere, ut gravis offenſæ reum, ad ipſum ſcribens, ita redarguit: Excepi te etiam tacens, ut ſilentii quoque ſermonem eſſe intelligas per calamum ſe proferentem. Loquar autem, quæ & amicitiæ, & hujuſmodi tempori conveniunt. Legibus injuriam facis, Judex, qui non jejunas. Et quomodo leges humanas ſervabis, qui divinas contemnis, ac pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum: ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fiat, aut exiſtimeris. Fœda ſpectacula proponere, ſe ipſum traducere eſt. In ſumma, ò Judex, futurum ſcito, ut judiceris, & minùs peccabis. His nihil meliùs habebam, quod tibi præberem. *Baron. Tom. 4. Annal. an.* 384. *ex Greg. Nazianz. ep.* 47.

IN



## IN SPECIE.

### Utpote In Die Paraſceves.

His quoque non abſimilem refert hiſtoriam *P. Martinus Delrio Diſquiſition. magicarum Tom. 2. ex Bremdebachio belli Livonici, pag.* 27. his verbis: Paucis abhinc annis, poſtquam Torpatenſes in Lutheranam doctrinam conceſſerant, feria ſexta, ſolemne Paſchæ feſtum proximè præcedente, finita Lutherani Eccleſiaſtę concione, civibus è templo D. Matri Virgini ſacro revertentibus, quidam alium concivem & familiarem invitat ad prandium: rogat unà domum comitetur: habere ſe egregiè paratum petaſonem VVeſtphalicum: alter parùm abhorrens reſpondet, ſibi eſſe gallum opiparè elixum, quem cupiat in ſymbolum adferre. Dum ad menſam accumbatur, alter os quoddam galli ambdere volens, imprudens penè ipſum deglutit; quod cùm neque tranſmittere, neque eximere valeret, eo ipſo die ſuffocatur: alter poſtridie Paſchæ malo ſpiritu corripitur, & non multò poſt rabie ac furore exagitatus animam unà cum dæmone exhalat.

## VIGILIÆ NATIVITAT. DOM. VIOLATIO.

*D. Auguſt. ad Xantippum Numidiæ Primatem* ita de hoc Presbytero jejunii vigiliæ Nativit. Domini fractore narrat: Primò comperi eum pecuniam cujuſdam ruſticani divino apud ſe commendato intervertiſſe, ita, ut nullam inde poſſet probabilem reddere rationem. Deinde convictus atque confeſſus eſt die jejunii Natalis Domini, quo etiam Gippitana Eccleſia, ſicut cæteræ, jejunabat, cum tanquam perrecturus ad Eccleſiam ſuam, valefeciſſet collegæ ſuo presbytero Gippitano hora fermè quinta, & cùm ſecum nullum clericum haberet, in eodem fundo reſtitiſſe, & apud quandam malæ famæ mulierem & prandiſſe, & cœnaſſe, & in una domo manſiſſe. Hunc autem, cùm culpam faſſus eſſet, removendum ab officio presbyteri arbitratus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam Dei committere; ne ſi quid pernicioſius erumperet, languens imputem mihi. *D. Auguſt. ep.* 236. *Baron. Tom. 5. Annal. an.* 402. 64.

## VIOLATIO QUADRAGESIMÆ.

De B. Ælphego VVintonienſi in Anglia Epiſcopo ſanctitate claro legitur, quòd in die Cinerum, cùm de more pœnitentes de Eccleſiæ liminibus removeret, hortatus eſt eos, ut tempore Quadrageſimali jejunio, & caſtitati vacantes, diebus illis uxorum etiam deliciis abſtinerent. Quorum unus, cæteris Epiſcopi juſſionibus reverenter obtemperantibus, jocari cœpit, dicens, ſe abſtinere non poſſe à Venere, à cibo pariter & conjugio. Cui Epiſcopus: Contriſtas me miſer, oppidò, neſciens quid tibi pariat dies ventura. Et ſic homo ille recedens duram B. Ælphegi Prophetiam nebulo experitur, dum poſtera luce in cubiculo ſit repertus exanimis, incertum, utrum à diabolo ſuffocatus. *Baron. tom. 10. Annal. ad an. Dom. 947. ex Flor. hiſt.*

Anno 1575. in ſeptimana ſancta, Milites Comitis Ludovici à Naſſau, contempta religione veteri, carnibus paſſim veſcebantur. Quocirca D. Philippus Olmer, vir multæ experientiæ, magnæ pietatis, animi ſagacis, reſque futuras quandoque præſentientis, feliciter in Domino defunctus: Parochum verò id temporis agens in loco non valdè à caſtris militum iſtorum remoto, ſuos confortabat, ut ſacrum Quadrageſimæ tempus pergerent religioſè peragere; illos quidem divinis humaniſque ſanctionibus contemptis nunc ſtrenuè comeſſari, carnibus victitare, & lætari, ſed lugubre & funeſtum paſcha habituros, ſe verò ac ſuos fauſto ac felici paſchate gaviſuros. Quod & factum. Nam Catholicis, poſt exactos S. Quadrageſimæ labores, paſchalem ſolemnitatem feſtivis gaudiis celebrantibus, ecce ſubitò feria 4. Paſchæ univerſus ille Ludovici exercitus, cum ipſo Comite Ludovico, omnibuſque anteſignanis, cæſus & interfectus eſt, pauciſſimis fuga ſalvatis. Adhuc eſcæ erant in ore eorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & gladius Catholicorum devoravit carnes & carnivoros. Hanc ſtragem Gerhardus Candidus in appendice hiſtoriarum Belgicarum Joannis Mejeri, his verbis ſuccinctè annotavit. 14. inquit, Aprilis die, auxiliares copiæ, quæ Auraici vires nitebantur firmare in ericeto Mokenſi, vulgo *auff der Mocker Henden*, ab Hiſpanis fuſæ ſunt & diſſipatæ. Præcipui exercitus Duces, Ludovicus & Henricus Naſſovii Comites, & Chriſtophorus Palatinus, nec inter vivos, nec inter mortuos reperti. *Bred. lib. 6. coll. ſacr. c.* 36.

Contigit propè civitatem Hadervvickum, Catholicum quendam in die cinerum agere in diverſorio inter hæreticos: qui cum jentaculum ſumerent, & Catholicum invitarent, ut cum ipſis jentaret, iſque antiqua jejunii religione ductus renueret, illi hominem dicteriis & contumeliis exceperunt, dictitantem, ſi ſacrum audiſſet, jam faciliorem fore ad jentandum. Eveſtigio quidam ex illis proſiliens, Ego, inquit, operam hanc illi facilè præſtitero, arreptumque orbem menſarium elevavit in deſpectum tremendi ſacrificii SS. Euchariſtiæ: moxque elevata in altum brachia obriguere, ut ad ſe reducere non poſſet, paulòque poſt in eodem loco expiravit, &c. *ibid. c.* 6.

*L. B. Theatr. vitæ Human. Tom. IV.*

## VIGILIÆ S. JOANNIS BAPT.

Legitur apud *B. Antoninum in Chron. p. 3. Tit. 24. c. 11. §. 1.* quo pacto B. Birgittæ apparuerit S. Joannes Baptiſta, ei dicens: Quia doluiſti, quòd filius tuus me offenderit, non jejunando vigiliam meam: ego tibi auxiliator ero, & armis meis protegam.

## JEJUNII HIEROGLYPHICUM.

Sunt qui jejunum hominem oſtendere volentes, *Cephalum* ex mugilum genere tranſlitoranum pingant: is enim non niſi mucore veſcitur ſuo, quamobrem ipſe ſemper jejunus: atque hinc illa inteſtini ganeæ adeò expetita ſuavitas, κεστρεὺς à Græcis appellatur, à nonnullis *Plotes*.

---

## * Jentaculum.

## DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Jentaculum eſt refectio matutina, quam Græci appellant Ἀκρατισμὸν vel ἀκράτισμα, quod *Athenæus* dicit *lib.* 1. πρωινὸν ἔκδρωμα, id eſt, cibum matutinum, ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, hoc eſt, à vino mero, non lymphato: Offulas enim mero imbutas mane ſumebant. Vetus Lexicon habet jantare ἀκρατίζειν, pro jentare, quaſi januam ſtomachi aperire.

Etiam veteres voce Ἄριστον, pro jentaculo uſurpabant: eamdem recentiores pro prandio accipiunt.

*Plautus* in Curculione ait:

*Nunc ara Veneris hæc eſt, ante horum fores*
*Me inferre Veneri novi jam jentaculum.*

Hoc eſt, Lambino interprete, vovi me prima luce, qua pueri ſumunt jentaculum, Veneri ſacra facturum: & *Martialis lib. 14. Epigramm.*

*Surgite, jam pueris vendit jentacula piſtor.*

Jentaculum à jejunio derivat Lambinus, & Iſidorus, quòd eo jejunium ſolvatur, at non video hujus derivationis ullum fundamentum. Apulejus jentaculum ambulatorium cibum dixit, quòd ambulando ſumi ſoleat: vel deductum eſt ab equis, qui ambulando in pratis carpunt cibum.

## USUS,

### Apud Judæos.

Apud Judæos veteres nullus uſus fuit jentaculi, quod colligunt nonnulli ex *c. 2. Act.* ubi Petrus ſe & reliquos Apoſtolos ab ebrietate excuſat circunſtantia horæ tertiæ diei, quæ noſtræ octavæ penè reſpondebat; quæ excuſatio parùm concordaret cum uſu jentaculi.

Unde Iſajas exprobrat tanquam vitium optimatibus Iſraelis, quòd contra morem matutinas compotationes inſtituerent. *cap.* 5.

Et Eccleſiaſtes *cap.* 10. terram maledictam pronuntiat, cujus Principes manicant, ut loquuntur Hebræi, id eſt, mane comedunt.

## APUD ROMANOS, ET GRÆCOS.

Antoninus Pius jam ſenior, priuſquam ſalutationes admitteret, panem ſiccum viribus conſervandis ſumpſit. Auctore Julio Capitolino.

Quinimò matutinum epulum ſuaviſſimum Græci exiſtimabant & jucundiſſimum, ideòque ἄριστον appellabant.

Homerus meminit meridiani & matutini epuli, & ſub auroræ exortum Eumeum illud præparaſſe adfirmat.

Canthor apud Athenæum ὄκνεν ἀκρατισόμεθα, ἐν ἴσθμῷ γὰρ ἀριστήσομεν: Jentemus igitur, nam in Iſthmo cœnabimus.

Theocriti Scholiaſtes annotat, ſumendum jentaculum, ut validiùs operi admoveamus manum.

## APUD ALIAS NATIONES.

Solemnis jentandi mos eſt apud Germanos, ut qui offulas meraco, jure, lacte, aut alio liquore imbutas ſumunt.

Belgis verò panis cum butyro in uſu tempore matutino. Alibi fructus conditi, qui ſtomachum diſponant, vorantur, quamvis plerique illorum, qui manualia non exercent, ſoleant famem acuere diuturniore jejunio, & differre refectionem in tempus prandii.

A greſtibus familiare primo diluculo ad futuros labores ſe

V muni-

munire obſonio aliquo, aut pulte, lentiſve edulio, vel ſimili; eoque ſumpto, uſque ad meridiem abſtinent. Nihilominùs incolæ Brabantiæ Campaniæ ſolent laborem diurnum interpolare ſumptione pulmenti ex aqua & farina certi frumenti, quod Sagopyrum Dodonæus, Ozymum alii appellant, cocti ad eam ſpiſſitudinem, ut etiam fruſtatim manibus contrectent, & ori inſtar panis admoveant. Quem cibum Campanienſes non tantùm comedunt, ſed inſtar bellariorum vorant, & ætatem eodem prorogant vel in ævi exemplum.

Pueris, ut olim, ita & hodie jentaculum porrigitur, uti & ſenibus. Utrorumvis enim ætas alimentum exigit, ut vires augeantur, vel conſerventur. Unde providè Eccleſia Catholica definivit, juvenes ante annum ætatis vigeſimum primum completum, & ſeniores poſt ſexageſimum non obligari ad ſervandum jejunium Eccleſiaſticum.

---

## * Jeſus.

### Quale nomen, ejuſque Etymologia, & ſignificatio.

NOmen Jesus nonnulli voluerunt eſſe Syrum, à radice אסא, ſanare; alii verò Græcum ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id eſt, à curando & ſanando, quaſi Ἰησοῦς ſit idem quod Medicus, ut videtur inſinuare *Epiphanius hær. 29. Baſilius in Aſceticis, & Cyrillus nomen ejus deducit ab ἰάω.*

Multò minùs nomen Jeſus eſt illud nomen Tetragrammaton יהוה, inſerta littera ש, ut voluit Oſiander, Tetragrammaton namque per ה in fine; Jeſus verò per ע ſcribitur: neque dicitur Jeheſchu, ſed Jeſus: Jeheſchu enim nullam habet radicem.

Itaque vera nominis Jeſus Etymologia eſt à radice ישע, Jaſcha, id eſt, ſalvavit. Inde Jeſchua Hebraicè, Græcè Ἰησοῦς, Jeſus Latinè, id eſt, Salvator, & ipſa ſalus. Hanc autem Etymologiam Deus per Angelum indicavit *Matth. 1.* Vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Notat *Lorinus in c. 7. Act.* Judæos diminutivè per contemptum vocare Jeſum, Jeſu detracto ע, quamvis alii id adſcribant Arameæ linguæ, ut ע hhain abſorbeant.

## NOMINATIO.

### Nempè. Qui hoc nomine appellati?

In lege veteri reperimus tres nomine hoc fuiſſe inſignitos, aut potiùs quatuor. Quamvis primus eorum Joſeph, non fuerit appellatus nomine iſto Jeſus, Jeſoſuah, ſed lingua Ægyptia alio nomine, quod ſonabat *Salvatorem Mundi*, Tſophnat Paneach...., nempè dum providit toti terræ in maxima annonæ charitate, de neceſſariis eſcis. *Gen. cap. 41.*

Sed propriè hoc nomen detuliſſe conſtat Joſue filium Nun, quem Moyſes vocavit Jeſum; qui populum induxit in terram promiſſionis, & ipſius Moyſis ſucceſſor deſignatus. *Num. 27.*

Ille quoque Sacerdos qui cum Zorobabele templum reſtituit anno primo Cyri Regis Perſarum, dictus eſt Jeſus Joſedech. Siquidem Caldæi templum diſſipaverant.

Denique auctor libri Eccleſiaſtici, qui doctrina cœleſti inſtruxit filios Iſrael, Jeſus Sirach appellatur.

Verùm notant quidam, hos omnes non Jeſus propriè, ſed nomen Jeoſuah habuiſſe, quod interpretatur, Deus ſalvabit: ſic ut tantùm geſſerint typum ſalutis promiſſæ & futuræ, ac implendæ per Chriſtum.

Christus enim nomen Jeſus ſibi ab Angelis inditum, à Prophetis prædictum, & in prioribus iſtis expreſſum, accepit octavo à Nativitate die, quo juxta legem fuit circumciſus, ut vel ſic ab ipſo primordio ſui adventus oſtenderet reipſa ſe ſalvatorem, ac ſalutem adferre, cujus pignus & pretium in ſanguine circumciſionis deponere incipiebat.

Hanc autem nominis hujus convenientiam cum circumciſione, prolixè in gratiam Concionatorum proſecuti fuimus in noſtro *Promptuario Moralis parte Hiem. in feſto Circumc. Text. 2.* ex quo nonnullas hujus nominis excellentias ſubjunximus.

## DIGNITAS.

### Prima à prædictione Prophetarum.

Prima hujus nominis dignitas, fuit quòd per Prophetas præſignificatum fuerit, fore nomen Meſſiæ. Ita *Abac. c. 3.* Exultabo in Deo Jeſu meo, & *Iſa. c. 45.* Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Unde & paſſim LXX. Interp. nomen Maſchiach quod ſignificat Meſſiam, vertunt σωτὴρ, id eſt, Salvator.

Priſci etiam Rabbini, ante Chriſti tempora, Meſſiæ nomen prædixerant fore Jeſus, ut ex R. Heccados docet. *Galatin. l. 3. cap. 20.*

### *Sibyllarum Oraculis.*

Idem nomen à Sibyllis prædictum reperimus, ut docet Acroſtichis illa verſuum Sibyllæ Erithreæ, quorum primæ Litteræ hæc verba reddunt:

Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς σωτὴρ, σταυρός.

Jesus Chrisrus Filius Dei Salvator, Crux: quæ extant in fine Sibyllorum oraculorum *Tom. 2. Biblioth. SS. Patrum*, & eam citat *Cicero lib. 2. de divin.* indèque probat, poema Sibyllæ non eſſe furentis, ſed attenti animi, artiſque & cogitationis. Eamdem citat & Conſtantinus Imp. ad Euſebium *in fine vitæ hujus*, & fusè *S. Aug. l. 18. de Civ. 23.* Idem prædixit, ſed ænigmaticè Sibylla Cumana, quæ ut refert *Sixt. Senenſis lib. 2. verſ. Sibylla*, vaticinata eſt numerum litterarum nominis Meſſiæ fore 888. dum ita canit:

*Sed quæ ſit numeri totius ſumma docebo:*
*Namque octo monades totidem decades ſuper iſta,*
*Atque hecatontades octo, infidis ſignificabunt*
*Hominibus nomen, tu verò mente teneto.*

Hunc enim numerum continent quatuor litteræ Græcæ nominis Jeſus; cujus numeri myſterium explicat *Ven. Beda in c. 2. Lucæ*, videlicet ſignificari per Jeſum reſurrectionem, & viam in cœlum eſſe patefactam. Octonarius enim ſive ſimplex, ſive multiplicatus per decem, id eſt octoginta, ſive per centum, id eſt 800. ſignificat octavam reſurrectionis.

Atque hinc fortè dæmon, qui Simia eſt Dei, & tantus Salvatoris noſtri æmulus, apud Romanos & Græcos Jovem Soterem, Minervam Soterem, Jovem Eleutherium, Salutem Deam, Minervam Soſpitam, & ſimiles Deorum larvas ſibi induxit: de quibus multa *Giraldus de Diis gentium, Syntagmate 1. pag. 35. & Syntagm. 2. pag. 106. & 107. & Syntagm. 3. pag. 121.*

### *Ab impoſitione.*

Eſt etiam hoc nomen Jeſus ſanctiſſimum atque auguſtiſſimum, adeòque venerabilius nomine Tetragrammato, ut rectè probat *Abulenſis quæſt. 7. in 20. cap. Exod.* Nam eſt proprium nomen Verbi incarnati, ut docet *S. Auguſt. tract. 3. in primam Epiſtolam S. Ioannis tom. 9.* Ideòque alia omnia Chriſti nomina, quæ plurima & præſtantiſſima ei Script. attribuit, in ſe complectitur.

Significat enim totam Incarnationis Dominicæ œconomiam (in qua, præ cæteris operibus, omnia attributa Dei relucent) bonaque omnia, quæ inde nobis, ſive in animo, ſive in corpore, tum in hac vita, tum in futura, per omnem æternitatem obveniunt. *Vide Origen. hom. 22. & homilia prima in Ioſue, Bernard. ſerm. 15. in Cantic.* ubi ait, veteres Jeſus inanibus nominibus gloriatos eſſe; nec enim veram ſalutem præſtitiſſe, ſed adumbraſſe: Hanc enim ſolus præſtitit Jeſus noſter. Adde, vocem Redemptoris, aut Salvatoris, includere nomen Dei Creatoris: Redemptio enim præſupponit creationem, non contrà.

### *A numero nomini incluſo.*

Diximus ſupra, oraculum Sibyllæ Cumanæ enuntiaſſe numerum, qui reperietur includi in nomine venturi Meſſiæ: foreque tria octonaria conficientia 888. quo modo nomen Antichriſti dicitur fore ſexcenti ſexaginta ſex. De hac re ita *Beda*: Sacroſancti nominis Jeſus non tantùm Etymologia, ſed & numerus, quem litteris comprehendit, perpetuæ ſalutis myſteria redolet: Siquidem futuræ beatitudini octonario reſpondet. Scribit de hoc numero *Corn. Muſſus conc. de Circumciſ.* in hunc modum: Sed & nomen hoc tanta gloria & majeſtate plenum (vobiſcum loquor Græci, qui litteris Græcis notarum loco inter numerandum uti conſueviſtis) an non compoſitum ſit è ſex litteris: ut ſunt I, H, duplex ΣΣ, O, & Υ, quæ in unum ſubductæ tria faciunt octonaria: unum ex unitatibus, alterum ex denariis, tertium ex centenariis, nempè 888. Iota namque valet X. Ita VIII. Sigma CC. duplex Sigma CCCC. Omicron LXX. Ypſilon CCCC. quos omnes numeros ſi in unum collegeris, octo, octoginta, & octingenta invenies, videlicet DCCC. LXXXVIII. Octava quæ hodie celebratur, & apud Chriſtianos incipit, numerus eſt reſurrectionis: Jeſus enim eſt qui nos reſuſcitat, facitque ad vitam immortalem reſurgere. Hactenùs *Corn. Muſſus Epiſc. Bitontinus.*

Octa-



Octavo enim die Chriſtus reſurrexit, ac nobis etiam reſurgendi certam ſpem attulit. Hinc Beda in Lucam: Octavum, inquit, numerum reſurrectionis gloriæ convenire pene omnibus claret. Nam & Dominus octava die, id eſt, poſt ſeptimam Sabbati reſurrexit, & ipſi poſt ſex hujus ſæculi ætates, & ſeptimam Sabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octavo tempore reſurgemus. Adde, octonarium eſſe numerum ſalutis: octo animæ in arca Noe ſalvæ factæ ſunt. Item eſt numerus novi teſtamenti, cum ſeptenarius eſſet veteris; unde veneratio Sabbati nunc in Dominicam tranſivit.

### *A Miraculis per illud patratis.*

☞ *Vide infra Tit. virtus & efficacia.*

## VENERANDUM.

Hujus nominis ſummam venerationem inſinuavit Apoſtolus *ad Philip. 2.* dum dicit, Chriſtum meruiſſe profunda ſua humilitate nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum: per hos nonnulli intelligunt eos qui ſunt in Purgatorio.

Hinc Catholici nunquam illud nomen pingunt, niſi radiatum, ſive aureis radiis circumdatum, ut cum profertur, aurea etiam cordis oriſque reverentia pronuntietur, adhibitis, ut monet Juſtinianus, devotione, fide, & pietate.

## VENERATIO, ET CULTUS
### Exhibitus huic Nomini.

### *Vbi etiam nonnulla de illius Sodalitate.*

S. Paulus Apoſtolus frequens eſt in hoc nomine Epiſtolis ſuis inſerendo, ut ſingulis penè verſiculis illius memoriam refricet, atque in Epiſtolis quas XIV. ſcripſit, ducenties decies novies illud ſcribat: Chriſti verò nomen quadringenties & ſemel.

Idem, dum ſuaderent fideles, ne Jeroſolymam pergeret, ubi eum vincula & tormenta manebant, Ego, ajebat, non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum pro nomine Domini Jeſu. *Act. cap. 11.* Quin ferunt, caput illius à corpore avulſum tertiò nomen Jeſus inclamaſſe.

S. Ignatius Martyr juſſus nomen hoc abnegare, reſpondit, ſe id facere non poſſe, eò quòd cordi ipſius inſculptum foret. Verum eſſe docuit eventus: Nam mortui corde in partes reciſo, unicuique impreſſum hoc nomen erat: ut clarè ſignificaretur, quanta cum reverentia illud in vita ſemper habuiſſet. *Sur. in vita.*

S. Augustinus poſt converſionem magnus hujus nominis amator & æſtimator erat. Scribit namque de ſeipſo, quòd idcircò liber Ciceronis ad Hortenſium ei diſplicuiſſet, quòd nomen Jeſus in eo non reperiretur. *Lib. 3. Confeſ. cap. 4.*

S. Bernardus præclaro encomio nomen hoc extollit, dum dicit: Habes in nomine Jeſus, unde actus tuos pravos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas. *Serm. 15. in Cant.* Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus: & multa ibidem habet, quibus ad hujus nominis pietatem & amorem excitet.

Dum S. Bernardinus in ampla quadam civitate de rebus divinis concionem ad populum haberet, homines adeò illius ſermonibus permoti ſunt, ut teſſeras tabulaſque luſorias, quarum magnus erat ibidem abuſus, flammis abſumerent. Quare indignatus faber, qui ex iis haud mediocre ſibi lucrum acquirebat, ad beatum virum acceſſit, eique conqueſtus eſt, ſe jam ad inopiam eſſe redactum. Sciſcitante Bernardino, num aliud calleret artificium, illoque negante, Bernardinus circino circulum expreſſit, in eoque ſolem depinxit, & in medio ſolis, ſacroſanctum nomen Jeſu, cujus, ut par erat, præcipuus fuit venerator & cultor; imò, ut quidam affirmant, Romæ tam luculenter ſublimiterque de illo dulciſſimo nomine concionatus eſt, ut quidam ejus verba non capientes, hæreſim ei impingere voluerint. At poſtera die, illo concionante, ut ſuperioris concionis veritas miraculo indicaretur, nomen Jeſu, in ejuſmodi forma, qualem eum pinxiſſe diximus, miro ſplendore coruſcans ſupra illum apparuit. Hanc igitur effigiem juſſit illum fabrum deinceps ſua arte imitari, ex qua pauper ad divitias haud mediocres pervenit. Et hæc eſt cauſa, cur S. Bernardinus ſolem in manu geſtans depingi ſoleat. *In vita ejus apud Sur. 10. Maji.*

Eleganter Thomas à Kempis aureo ſuo *libello de imitatione Chriſti*: Eſſe, inquit, ſine Jeſu, gravis eſt Infernus: eſſe cum Jeſu dulcis eſt Paradiſus. *Lib. 2.*



B. Ignatius Lojola ſummo honore hoc nomen venerabatur, ut qui eo inſigniri Societatem à ſe inſtitutam voluit, & illius ſigillum familiare, hoc nomen per compendium referre; nempè IHS. Unde & paulò ante mortem hoc nomen identidem repetere audiebatur. *Ex vita per Ribaden. ſcripta.*

## SODALITAS.

Etiam S. Dominicus, Prædicatorum ſanctiſſimus Patriarcha, ut hujus nominis amorem magis inſtillaret, ſodalitatem in illius honorem inſtituit, quam collapſam ab annis circiter LXX. reſtauravit *Franciſcus à Victoria*, Ord. Religioſus, & multis Indulgentiis cumularunt V. aut VI. Romani Pontifices. Ea verò in Civitate Antverpienſis ab annis paucis egregium incrementum ſumpſit ad multorum ædificationem, cura & protectione illius etiam credita *Laur. Beyerlinch.* ejuſdem Civitatis Archipresbytero. Sanè videtur hæc myſticè ſignificari viſione illa *Apocalyp. c. 14.* qua dicitur Joannes vidiſſe agnum ſtantem ſuper montem Sion, & cum eo CXLIV. millia, habentes nomen ejus ſcriptum in fontibus ſuis.

Finis autem hujus Inſtitutionis fuit honor & exaltatio nominis Dei, & abrogatio omnis injuriæ, quæ eidem per juramenta & blaſphemias irrogatur, quæ alioquin univerſis regnis iram Dei vindictamque ſeveriorem accerſunt, ut patet *Deut. 28. Exod. 20. & Eccleſ. 23.*

Qui verò in hanc Societatem ſe adſcribi faciunt, imprimis ab omni abuſu divini nominis abſtinere debent, & inſtruere quoſcumque alios, qui in hac re delinquunt, aut eoſdem redarguere, ſeque ſtrenuos illius cultores & defenſores exhibere. Si vero ipſos in eo excedere contigerit, ejuſmodi exceſſum mulcta aliqua ſive eleemoſynæ, ſive orationum compenſabunt, ut eo medio ceu fræno ſemetipſos coerceant. Feſtum autem Dominicæ Circumciſionis, quando nomen ſalutare primùm innotuit, ſumma cum devotione obſervabunt: eoque ſacra Communione refecti, ſe per Confeſſionem expiabunt.

Inſuper Dominica II. cujuſque menſis ſolemnis erit, quando & Proceſſioni quæ cum Euchariſtia inſtituitur, quantùm fieri poterit, intererunt, tam in Miſſa ſolemni, quàm Laudibus Veſpertinis.

Gratiæ verò, & ſpiritualia beneficia quæ à ſummis Pontificibus huic Sodalitati conceſſa ſunt, per compendium hæc enumerantur. Gregorius XIII. an. 1580. indulſit omnibus utriuſque ſexus fidelibus nomen ſuum huic Sodalitati dantibus, ipſo inſcriptionis die, uti & in mortis articulo, dummodò confeſſi & ſacra communione refecti fuerint, plenariam remiſſionem. Ut conſtat ex Bulla data 9. Julii.

Pius IV. conceſſit iiſdem Indulgentias ad modum Jubilæi, ipſo die Circumciſionis, cum poteſtate eligendi Confeſſarium qui & vota commutare, & à Cenſuris abſolvere valeat. Eaſque Indulgentias Gregor. XIII. conceſſit etiam illis qui triduum ante idem feſtum, propter numerum Fratrum & Sororum confitebuntur & communicabunt. Idem permiſit iiſdem intereſſentibus Divino Officio in Sacello dictæ fraternitatis, die ſecunda Dominica cujuslibet menſis, decem annorum Indulgentias, plenarias verò confeſſis, & S. Euchariſtia eo die refectis, & ordinariæ Proceſſioni intereſſentibus. Præfatus Pius IV. centum annorum Indulgentiam impartitur omnibus ſuper irreverentia nominis Dei, invicem aut alios corripientibus: & decem annos illis qui è ſuggeſtu Fraternitatem commendaverint. Confirmarunt prædicta, & cumularunt novis gratiis Pius V. Clemens VIII. & Paulus V. Exſtatque ſuper his libellus editus Antverpiæ anno 1616.

## EFFECTUS. Nempe

## VIRTUS ET EFFICACIA NOMINIS JESU.

De animi languoribus hoc nomine invocato ſublatis, doniſque cœleſtibus præſtitis, agit Mellifluus Bernardus ſuprà. Nos præſenti loco corporales & externos effectus hujus nominis attingimus, & exemplis adſerimus.

## TERRÆMOTUS REPRESSI.

Narrat *Nicephorus lib. 17. hiſt. cap. 3.* Antiochiæ fuiſſe aliquando horrendas terræ motiones, omneſque domos immunes exſtitiſſe, quarum poſtibus inſcriptum erat, *Jeſus nobiſcum eſt, nemo loco moveatur.* Accidit anno 528. *Vide Baron. eo anno, num. 22.*

A

## HOSTES SUPERATI.

S. Martinus Turonenſis Epiſcopus, juſſus abnegare fidem, dicebat, Ego non galea aut clypeo munitus, ſed in nomine Jeſu, hoſtium cuneos penetrabo ſecuriùs: eoque dicto irruit, & palmam memorabilem reportat. *Sur. in vita.*

Regina Clotildis, fœmina Chriſtiana, Clodovæi Francorum Regis conjux, non ceſſabat prædicare, ut Deum verum cognoſceret, & idola negligeret: ſed nullo modo ad hæc credenda commoveri poterat; donec tandem bellum contra Alemannos commotum, in quo compulſus eſt ex neceſſitate, quod priùs voluntate negaverat. Factum eſt autem, ut confligente utroque exercitu vehementer cæderentur, atque exercitus Clodovæi valdè ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, elevatis in cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait: Jeſu Chriſte, quem Clotildis prædicat Filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te ſperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito, ut ſi mihi victoriam ſuper hos hoſtes indulſeris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini B dicatus probaſſe ſe prædicat: credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Invocavi enim Deos meos, ſed (ut experior) elongati ſunt ab auxilio meo: unde credo, illos nullius poteſtatis eſſe præditos, qui ſibi obedientibus non ſuccurrunt. Te nunc invoco, & tibi credere deſidero, tantùm ut eruas ab adverſariis meis. Cùm autem hæc diceret, Alemanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cumque Regem ſuum cernerent interemptum, Clodovæi ſe ditionibus ſubdunt, dicentes: Ne ampliùs, quæſumus, pereat populus, jam tui ſumus. At ille prohibito bello, contractoque populo; cum pace regreſſus narravit Reginæ, qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruerit obtinere. *Greg. Turon. de geſt. Franc. lib. 2. cap.* 30. *Baron. tom. 6. an. Dom.* 499.

## DÆMONES FUGATI.

Puellam quandam habentem ſpiritum Pythonem, quæ quæſtum magnum dominis ſuis divinando præſtabat, Paulus habuit obviam, & dolens ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea. Et exiit eadem hora. *Act.* 16.

C Narrat S. Juſtinus Martyr *Apologia prima*. Chriſtianos ſuo tempore ſolitos curare energumenos, eoſque, à Dæmonum poteſtate liberare, invocato ſolo nomine Jeſu. Videatur *Gretzerus lib. 3. de Cruce, Prudentius in Apotheoſi, Lactant. lib. 4. cap.* 27.

Scribit de S. Antonio *Athanaſius*, quòd hoc nomen adverſus Dæmonum illuſiones ſemper adhibuerit, & magnum adverſus illos præſidium ſola illius invocatione conſecutus fuerit, conjuncto illi ſigno Crucis.

S. Cyprianus teſtatur, jam olim formam exorciſmi fuiſſe cum eodem nomine, ſanctæque crucis impreſſione; quæ ipſe vocat ſpiritalia flagra, & verborum tormenta: unamque talem *Prudentius* exprimit *in Apotheoſi*.

Quin Chriſti Diſcipuli hoc nomen invocabant, ejuſque virtute Dæmones pellebant. *Luc.* 20.

Eamque velut formulam Chriſtus præſcripſit, dicens: In nomine meo Dæmonia ejicient. *Marci ultimo*. Et Paulus ſervavit ſuprà *Act.* 16.

Hinc circulatores Judæi *Act.* 19. videntes Apoſtolos hoc nomine D invocato Dæmones fugare, tentabant ſuper eos, qui ſpiritus immundos habebant, hoc nomen invocare, dicentes: Adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat.

In Sileſia quidam Nobilis cùm invitaſſet convivas, & hora convivii jam inſtante, & apparatu facto, ſpe fruſtratus eſſet, excuſantibus ſe convivis, cur non comparerent, prorupit iratus in hæc verba: Veniant igitur omnes dæmones, ſi nullus hominum mecum eſſe poteſt. His dictis, domo egreditur in templum, ubi Eccleſiæ Paſtor concionem habebat, & ut iracundiam concoquat, auſcultat aliquandiu: dum verò in templo moratur, veniunt equites in aream domus magni, & nigri, & jubent ſervo domus, ut dominum ſuum advocet, eique ſignificet adeſſe hoſpites. Servus conſternatus abit in templum, & indicat hæc domino ſuo, qui neſcius conſilii, Paſtorem conſulit. Paſtor abrumpens concionem, hoc conſilium dat, ut tota familia domo exeat; quod cum fieret, & famuli ac ancillæ properarent, fortè obliti infantem in cunis jacentem & dormientem, ſecum non auferunt. Dæmones incipiunt comeſſari & vociferari, proſpicereque per feneſtras formis urſorum, luporum, felium & hominum, & monſtrare pocula vino plena, aſſaturas, & piſces. Hæc vicini, nobilis, Paſtor, & alii cùm viderent; Ah, inquit pater, ubi infans meus? Vix cùm hæc dixiſſet, unus è E dæmonibus ulnis ſuis infantem ad feneſtras geſtat quaſi monſtraturus parentibus. Nobilis prorſus conſternatus, & ſolicitus de incolumitate infantis, fidum habens ſervum, quem interrogat; Quæſo, tu dic, quid agam? Servus; Domine, inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & ut infantem auferam, auxilio & beneficio Dei videbo. Benè, inquit nobilis, Deus tecum ſit, & juvet te, animumque tibi confirmet. Servus accepta benedictione à Paſtore, & reliquis, ingreditur, & ante conclave, in quo erant dæmones congregati, procidit in genua, & ſe Deo commendat, & hoc animo aperit januam; & videt dæmones horribili ſpecie ſedentes, ſtantes, obambulantes, ſerpentes, & uno impetu accurrentes ad ſe, & vociferantes: Hui, hui, tu, quid hìc tibi? Ille ſudans, & tamen divinitùs confirmatus, alloquitur dæmonem, qui infantem geſtabat; Tu, inquit, mihi infantem trade; Nequaquam, reſpondet iſte, jam meus iſte eſt infans; dic domino tuo, ut veniat, & accipiat infantem. Cui ſervus: Ego fungor jam officio meæ vocationis, in quam me Deus collocavit, & ſcio, quidquid in hoc officio facio, id Deo gratum eſſe, F Quare ratione mei officii & auxilio & nomine & virtute Jeſu Chriſti aufero abs te infantem, & patri ejus reſtituo: atque ita ipſe apprehendit infantem, & brachiis ſuis amplexus eſt. Iſti nihil aliud reſpondent, niſi vociferantes: Hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque, alioqui te diſcerpemus: ille nihil curans minas diabolicas, abit incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæmones poſteà, aliquot diebus elapſis, evanuerunt, ut in ædes denuò migrare cum tota familia nobilis potuerit. *P. Mart. Delrio t. 2. diſquiſ. magic. lib. 3. part. 1. quæſt. 7. ex quodam Germ. lib. 1. de Lamiis, c. de malitia diaboli.*

## PHILOSOPHI, ET HÆRETICI CONFUTATI.

An. Chriſti Dom. 325. ad Nicænam Synodum non ſolùm confluxerunt Epiſc. Catholici per litteras accerſiti, ſed & ex Philoſophis plerique, qui apud gentiles pro Sapientibus habebantur, diſputationibus in hoc Concilio agitatis, dedita opera interfuerunt. Quorum nonnulli, quænam tandem eſſet Chriſtiana doctrina, admodum ſcire avebant, alii odio in Chriſtianos propterea animati & inflammati, quòd ſuperſti- G tioſa Gentilium religio nuper antiquari cœpta erat, quæſtionem de fide Chriſtiana propoſitam, ad inanem quandam verborum concertationem deduxerunt, adeò ut ipſi inter ſe digladiari, & ſecum pugnare viderentur. Fertur igitur, quòd cùm quidam illorum præ inſolenti dicendi arrogantia ſe inaniter jactaret, & Sacerdotes petulanter irrideret, ſenex quidam ſimplex Spiridion nomine, ex illuſtrium Confeſſorum numero, ſuperbiam ejus non tulit. Qui tametſi ineptæ ſubtilitatis & præſtigiarum penitùs expers erat, tamen cum eo diſputare cœpit. At cùm hæc res petulantibus (qui confeſſorem hominem eſſe ſimplicem cognoſcebant) riſum moveret quidem, at modeſtis injiceret timorem, qui veriti ſunt, ne cum viro dicendi perito congreſſus haberetur pro ludibrio: tamen cum facultas (cui, cum talis & tam provectæ ætatis eſſet, pudor erat reſiſtere) data eſſet liberè, quæ vellet, loquendi: In nomine Jeſu Chriſti, inquit, Philoſophe, audito. Unus eſt Deus cœli, terræ, & omnium rerum tam oculis ſubjectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia virtute Verbi fabricatus eſt, & ſacrato Spiritus Sancti afflatu ſtabilivit. Quarè hoc Verbum, inquit, quod nos Filium Dei nuncupa- H mus, miſertum humani erroris & belluinæ vivendi rationis, ex Virgine naſci, cum hominibus unà verſari, proque iiſdem mortem oppetere voluit. Eſt quoque iterum venturus, de iis rebus, quas quiſque geſſerit in vita, dicturus ſententiam. Iſta ita ſe habere, ſine ulla alia curioſa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide dumtaxat rectè intelliguntur, curioſè refutandis, laborem fruſtra conſumere, quærereve, qui iſta fieri, aut non fieri poſſint. Quòd ſi credis, mihi quidem ſciſcitanti reſponde. Quibus obſtupefactus Philoſophus: Credo, inquit, & gratiis illi actis, quòd ipſum deviciſſet, non ſolùm eadem cum ſene ipſe ſentire, verùm etiam conſilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Chriſtianam, atque ipſe ante, affecti erant, ut jam doctrinæ Chriſtianæ aſſentirentur: atque juſjurandum adjecit, ſe non modò non ſine numine divino mutatum eſſe, ſed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Chriſtianam fidem converſum. *Sozom. lib. 1. cap. 7. Rufin. lib. 1. Euſeb. lib. 10. cap. 3. Niceph. lib. 8. c. 15. Cedr. apud Zonar. tom. 3. Baron. tom. 3. ad ann. Domin.* 325. 46.

Fertur



A Fertur item miraculum huic non diſſimile ab Alexandro Epiſcopo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ editum. Nam cùm Conſtantinus fortè Byzantium advenit, acceſſerunt ad eum quidam philoſophi, criminique illi dedere, quòd haud rectam religionem coleret, quòdque res divinas mutare, nonnunquam cultum contra inſtituta cùm majorum ſuorum, tum Principum omnium, qui vel Græcis, vel Romanis omni memoria ſæculorum præfuiſſent, in Rempublicam introducere ſtuderet. Rogavere item, ut cum Alexandro Epiſcopo de doctrina Chriſtiana diſputarent. Alexander igitur in eo exercitationis genere haudquaquam exquiſitè verſatus, fortaſſis etiam vitæ bonitate fretus (erat enim vir perhoneſta & ſpectata vita) Imperatoris juſſu in differendi certamen cum illis deſcendit. Philoſophis autem in unum coactis, cùm omnes diſputare cuperent, poſtulavit Alexander, ut unum quem vellent, ad diſputandum deligerent, cæterique præſentes audirent cum ſilentio. Itaque cum onus diſputandi unus ſuſcepiſſet: tum Alexander: In nomine Jeſu Chriſti, inquit, præcipio tibi, ne loquare. Quod ut primùm dixerat, homo eveſtigiò, obſtructo ore, conticuit. An non igitur majus miraculum meritò cenſendum eſt, lo- B quelam homini, eique Philoſopho, tam facilè adimere, atque lapidem manu per verbum quoddam prolatum dividere? quod à quibuſdam de Juliano Chaldæo glorioſè jactatum audivi. *Sozom. lib. 1. cap. 7. Tripart. lib. 2. cap. 4. Niceph. lib. 8. cap. 15. Cedren. apud Ioan. Zonar. tom. 3. Annalium Baron. tom. 3. an. Dom.* 325.

Anno Chriſti 514. habita eſt per ſanctum Remigium Epiſcopum Rhemenſem Synodus Gallicana, in quam convenerunt Epiſcopi Galliæ ac diverſarum Provinciarum. Erant autem Gallicanæ regiones ob Gothos Arianos, qui ibi regnarant, nonnihil hæreſis ejus labe conſperſæ: quamobrem ſanctiſſimi Epiſcopi in illud præcipuè incubuerunt, ut fidem Catholicam ab ea contagione liberam conſervarent. Coacto igitur Rhemis ſacro Patrum conventu, accidit, ut inter filios Dei (ut eſt in Job) & Sathan quoque aſſiſtere preſumpſerit, nimirùm Adrianus Epiſcopus, qui tanquam novus Goliath, exprobrans agminibus Dei viventis, provocanſque eos ad ſingulare certamen, ſtrenuus perfidiæ propugnator, ſuperbiaque inflatus, Catholicis omnibus inſultabat. Sed exſurrexit ex adverſo, non juvenis rurſus adſpectu, ut David, ſed veneranda cani- C cie ſanctiſſimus ſenex Apoſtolicus vir Remigius, ejuſque factum compreſſit, atque victum ad Chriſti fidem perduxit. Id autem quomodo factum ſit, Hincmarus in actis ipſius Sancti Remigii deſcribit his verbis: Ei Synodo Arianus quidam hæreticus, acerrimus diſputator, & dialecticis propoſitionibus ac concluſionibus confiſus, & inde nimis elatus intererat. Ingrediente autem Sancto Remigio Epiſcoporum Concilium, à multitudine Patrum exſpectantium, aſſurgentibus omnibus reverenter, ſicut Angelus Dei ſuſcipitur, Superbus autem hæreticus, & malè de viro Dei ſentiens, dedignatus eſt ei aſſurgere. Qui protinùs cùm Sanctus Remigius ante eum tranſivit, ita obmutuit, ut nec verbum quidem ullum effari potuerit. Magnum planè miraculum, garrulam linguam & petulantem, quæ Dei filium jugiter blaſphemarat, ſolo tranſitu compreſſiſſe, vinculis inviſibilibus obligaſſe, atque intra dentium clauſtra arcto carcere obſeraſſe. Qui igitur Apoſtolica legatione vice fungitur Petri, inſtar Petri umbræ tranſitu curat infirmum, vinciendum tamen antea tanquam phreneticum ligaminibus. At quomodo id acciderit, audi quod ſubdit: Exſpectantibus, inquit, omnibus, ut poſt allocutionem D ſancti Remigii, hæreticus ille aliquid diceret; nihil potuit loqui: ſed ad veſtigia Sancti viri pronus cadens, nutibus veniam petiit: Cui Sanctus dixit: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, verè filii Dei vivi, ſi ita de eo rectè ſentis, loquere: & de illo ſicut Catholica credit Eccleſia, crede & confitere. Ad cujus vocem antè ſuperbus hæreticus, humilis jam & Catholicus, Catholicam fidem, de ſancta & inſeparabili Trinitate, & de Chriſti Incarnatione, Catholicè confeſſus eſt, & in eadem confeſſionis ſuæ fide ſe permanſurum profeſſus eſt; ſicque animo per infidelitatem perdito, & corporali voce propter ſuperbiam condemnato, virtute divina Sanctus Remigius & animæ & corporis reddidit ſanitatem: cunctis qui aderant, ſeu hæc audituri erant, Sacerdotibus patenter oſtendens, de malè ſentiendo peccante in Chriſtum, qui per humanitatem proximus & frater nobis fieri dignatus eſt, quomodo erga peccantes in ſe vel in Eccleſiam, atque rebelles, & erga poſt recognoſcentes, & pœnitentes debeant agere. *Hincmar. in Vita S. Remigii, apud Sur. 1. Car. t. 6. Dom. an.* 514. 1. 9. 20.

E

## COECI ILLUMINATI. GENTILES CONVERSI.

Cùm S. Paulus Apoſtolus ad fidem Chriſti capeſſendam perduxiſſet Apollinem quendam, nobiliſſimum pariter & eruditiſſimum Athenienſem civem, eaque occaſione eum in Areopago ſiſti juſſiſſet; ibi hos ſermones cum Dionyſio habuiſſe teſtatur Hilduinus, ſic dicens: Dionyſium ſpecialiter cœpit interrogare Paulus, quid coleret, & quibus numinibus in tam ſpatioſo, & venerabili loco ſerviret. Cui reſpondet Dionyſius: Deos quos coluerunt parentes noſtri, quorum virtute & ſolertia mater terra continetur: hos colimus & adoramus. Aras quas vides, Martis, & Herculis, Mercurii & Priapi omine & honore ſacræ ſunt. Dum verò Paulus ſingula altaria & ſimulacra falſorum Deorum perluſtraſſet, inter cæteras aras reperit altare unum, cui erat titulus ſuperſcriptus, Deo Ignoto: Et converſus ad eum Paulus, interrogavit illum, dicens: Quis eſt ille Deus incognitus? Ad quem ipſe Dionyſius: Adhuc, inquit, non eſt ipſe Deus demonſtratus inter Deos: ſed eſt incognitus nobis, & ſæculo F futuro venturus: Ipſe eſt enim Deus, qui regnaturus eſt in cœlo & in terra, & regnum ejus non accipiet finem. Subjungens itaque Paulus, ait: Homo-ne erit, an ſpiritus? Reſpondens Dionyſius, dixit: Verus Deus, & verus homo, & ipſe renovaturus eſt mundum; ſed adhuc incognitus eſt hominibus, quoniam apud Deum in cœlo ejus converſatio eſt. Et ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis: Natus enim ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, pro ſalute humana mortuus, reſurrexit, cœloſque aſcendens, ſedet ad dexteram Dei Patris, verus Deus, & verus homo, per quem facta ſunt omnia: & venturus eſt in fine ſæculi judex omnium quæ geruntur. Qui notus eſt jam in Judæa Deus, & magnum in Iſrael, & ſanctum nomen ejus. Quamobrem quem incognitum uſque nunc habuiſtis, modò cognoſcite, quia ipſe eſt Deus ſolus, & præter eum non eſt alter: qui nos de morte, ſanguinis ſui pretio, reduxit ad vitam: qui cœlum & terram, hominem ſcilicet & Angelos, in unitate regni ſui conjunxit: qui mortificat juſtus, qui vivificat pius: qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Hæc & alia plura Paulo prædicante, & templa ſingula perluſtrante, G commendando Jeſum Chriſtum, Dei filium, Deum verum eſſe, quæ amica curioſitate Athenienſes propter ipſam novitatem officioſiſſimè acceptabant: Dionyſius veram doctrinam, & dogma ſalutis audiens, & nihil eſſe idola, quibus ſerviebat, imò magis dæmonia, quàm Deos, eſſe cognoſcens; Sanctum verò Spiritum, & verba vitalia in Pauli doctrina evidentiſſimè ſentiens; divino lumine corde tactus, eidem Paulo ceſſit, & ab illo expetiit, quatenùs pro illo ipſius Dei, quem prædicabat, miſericordiam precaretur, & illius cultor verus, & ſuus mereretur eſſe diſcipulus. Poſtero autem die, cùm Paulus ageret iter, cœcus quidam cœpit eum obſecrationis vocibus compellare. Sanctus autem Apoſtolus Crucis ſignum clauſis à nativitate ejus oculis impoſuit, dicens: Chriſtus Dominus, & magiſter noſter, qui oculis impoſuit lutum cœci nati, & lumen reſtituit ei, ipſe te potentia ſua illuminet. Quem mox videntem his eſt verbis affatus: Vade, inquiens, ad Dionyſium, & dic ei, quia Paulus ſervus Jeſu Chriſti ad te me miſit, ut memor ſponſionis tuæ, ad eum venire non differas, à quo baptiſmum ſalutis accipiens, ab omnibus poſſis abſolvi nexibus delictorum. Is autem, qui lumen receperat, obe- H dienter verba jubentis implevit, & ad Dionyſium properans, Pauli ea verba per ordinem renuntiavit. Dionyſius verò electionis gratia jam præventus, ut cœcum reſpexit non ante habitis luminibus contuentem, ait ad eum: Es-ne tu ille, quem cœcum natum cuncti cognoverunt affines? Cui ille reſpondit: Ego nempè ſum, cui cœco nato hactenùs ſol non luxit: ſed ipſe Paulus, cujus tibi defero mandata ſalubria, Jeſu Chriſti magiſtri ſui invocata virtute, ſanitatis mihi lumen indulſit. Qui protinùs ſurgens cum omni domo, & Damari uxore ſua (quam ut ſumeret more terrenæ nobilitatis, propter amorem ſuſcipiendæ charæ ſobolis, eum ſui coegere parentes) ad mandata properat ſancti Pauli: credenſque fideliter, & abnegatis erroribus Paganorum, ſacri eſt baptiſmatis unda reſperſus; ac ſic demum ſe tradidit ejus magiſterio pleniùs imbuendum: inque ſanctæ Trinitatis fide, & incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis Domini noſtri, ſeu cunctis arcanis Eccleſiaſticæ ſanctitatis affatim ut comes ejus inſeparabilis, quocumque greſſum moveret, à beato Paulo per triennium eſt inſtitutus; Theſſalonica, magiſtro ob

A ſequendo revertens, ab eodem beato Paulo Apoſtolo Athenienſium eſt ordinatus Antiſtes: ac deinde, ipſo jubente, Chriſti Euangelium prædicavit, eamdemque civitatem, & maximam partem patriæ ad fidem veritatis convertit. *Hilduin. in Areopa. apud Sur. die 9. Oct. & Baron. tom. 1. An. Do. 52. 11. 12. licèt non omnia hæc ab illo probentur.*

MORBI DEPULSI.

Iberi, gens barbara & bellicoſa, Chriſtiani facti ſunt Conſtantino Romanum Imperium adminiſtrante. Habitat autem hæc natio in interiore Armeniæ parte, ad ſeptentrionem, & Euxinum verſus: ſunt autem Iberorum in Hiſpania coloni. Præiit eis in Religione colenda captiva quædam mulier: quæ cùm aliàs ſemper pudicè caſtèque vixerat, tum captiva quoque nihil de pietate ſanctioreque inſtituto remiſit. Nam diu noctuque pietatis exercitia exhibebat; jejuniis plurimùm vacabat, continuèque precationibus inſiſtebat. Itaque barbari novo vitæ inſtituto viſo, eam admirati, & quanam de cauſa hoc ſic faceret, percontati. Illa porrò candidè, & ſimpliciter, ſic Chriſtum filium Dei coli oportere, dicebat. Tum barbari & nomine & religione ejus, qui ſic coleretur, audito, obſtupuerunt. Intereà accidit, ut
B regis Filius etiamnum infans, graviter ægrotaret, mater patrio quodam more ad alias eum mitteret mulieres, quo faciliùs remedium mali reperiri poſſet. Ut autem puer à nutrice circumlatus eſt, neque meliuſculè habuit, tandem etiam ad captivam illam eſt deportatus. Quæ in multorum præſentia, nihil ſanè ex materia aliqua compoſiti remedii admovit; neque enim ſe quidquam ejuſmodi ſcire affirmavit: ſed puero in linteolo, quod ei è pilis contextum erat, jam lacerum, repoſito, ſimplicem ei fecit medicinam, nomine Chriſti ſuper eo invocato. Et ecce qui in ea erat expectatione, ut protinùs moreretur, quàmprimùm precatio facta eſt, liber à periculo fuit. *Niceph. lib. 8. hiſt. Eccl. c. 34. Socrat. lib. 1. c. 16. Theod. 1. c. 24. Ruff. 1. cap. 10.*

A PERICULIS LIBERATA.

Legitur in litteris Indicis Societatis Jeſu, quòd Ethnicus puer in ampliſſimam piſcinam decidit, & natandi ignarus tantùm non mergebatur. Luſitanus puerum conſpicatus, cum aliter opem ferre non poſſet, admonere cœpit, ut nomen Jeſu invocaret; fecit, & in nomine Jeſu ab undis ingentibus emerſit: quod ſanctum nomen ita illius animo inhæſit, cum ſciat
C ejus virtute tantum periculum evaſiſſe ſe, ut niſi Jeſu cùm vocaretur, nunquam reſpondere vellet, & pia ejuſdem Jeſu clementia baptiſmatis paulò poſt aqua perfuſus eſt. *Ex litt. Indicis an. 1560.*

Anno Red. 978. quo Otto II. Imperator offenſionem paſſus à Lothario Francorum Rege, eum Pariſios uſque perſequeretur; quid inſequentes hoſtes pati contigerit, ab auctore accipe, qui tunc vivebat, & ejuſdem Sancti intimus erat: Cùm (inquit) Otto ſecundus Imperator ob illatam ipſi injuriam, Franciam hoſtili animo & manu ingreſſus, Lutetiam uſque perveniſſet, in reditu ad fluvium quendam pervenere, cujus aquæ intumuerant, ita ut multi illlic mergerentur. Ubi autem beatus Antiſtes Vvolfangus Ratiſp. Ep. cum ſuis eò pervenit, tum præſenti periculo commotus, ſuſpexit in cœlum, & tum ſibi, tum ſuis benè precatus atque benedicens, juſſit ſuos incunctanter tranſire flumen. Sed illis adhuc cunctantibus, & Francis interim à tergo acriter inſtantibus, ille primus in nomine Domini (quod in ejus ſemper verſabatur ore) fluvium ingreſſus ſuos animavit. Nec quiſquam eorum ullum expertus eſt periculum. Tunc verò omnes id admirantes, præ gaudio in Dei laudes eruperunt.
D Sed vir humillimus, ne in publicum efferrent, obnixè eos rogavit: Porrò ea pars exercitus, quæ inſequebatur Ottonem, apud flumen periit, inquit *Aimoinus l. 5. Ex Lambert. Chron. Baron. tom. 19. ad annum. 978. nu. 1.*

* CONTEMPTUS, ET ABUSUS VINDICATUS.

Judæi illi quos Actorum liber nominat Circulatores, & deceptores, qui ſuper eos qui Spiritus immundos habebant, nomen Domini Jeſu invocare præſumebant, erantque ſeptem filii Judæi nomine Scevæ hoc facientes, inſigniter ob temeritatem caſtigati leguntur. Nam ſpiritus nequam dixit ei, Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos homo in quo erat dæmonium peſſimum, dominatus eſt amborum, & invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Ecce coactus eſt Dæmoniacus potentiam Jeſu fateri, & Pauli doctrinam probare; refellere quoque vanitatem mancipiorum ſuorum, in eos inſiliendo, eoſque lacerando & vulnerando. *Act. cap. 19.*

Judæi adeò in Chriſtum Jeſum deſæviunt, ut ſi nomen ipſius fortuitò legant, os ſuum pugno contundant: Vel ſi quando illud legere debent, pronuntiant *Iiſchu*, & per litteras initiales ita exponunt, *Iimmach ſcemouzichro*, id eſt, deleatur nomen E ejus & memoria. Hoc eſt odium quod obtenebrati illi adverſùs Jeſum habent, ac meritò proinde excidio & exilio multantur. *Corn. à Lapide, in cap. 23. Exodi verſu 14. in fine.*

Obſervant quoque ſacri Interpretes, Judæos Chriſtum per contemptum vocare ſolitos Jeſum Nazarenum, quia Nazareth erat abjectum oppidum, & minimum totius Galilææ. Unde eos falſitatis arguit Oecumenius, quòd Stephanum accuſando dicerent, Audivimus eum dicentem, quoniam Jeſu Nazarenus deſtruet locum illum: quia Stephanus hoc non dixerat. Vide *eumdem in cap. 6. item Chryſoſt. ibidem.*

Etiam Feſtus Jeſum nominat per contemptum, dum Regi Herodi dicit, Habebant quæſtiones quaſdam adverſùs eum, Paulum ſcilicet; & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. *Actor. c. 25.*

Majus peccatum eſſe affirmavit *Abulenſis*, accipere nomen Jeſus in vanum, quàm nomen Deus, tum quòd ſit nomen dignius & ſuper omne nomen, ac reliqua Dei nomina includens: tum quòd laudabilis Eccleſiæ conſuetudo magis illud honoret, caput revelando, inclinando, genu flectendo, &c. *q. c. 7. in c. 20. Exodi.* F

* Ignavia.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

IGnavia idem eſt quod ſegnities & torpor, ἀπειρία & ἀδράνεια Græcis. Unde ignavum dicimus, qui facilè ſuccumbit labori; idque non ex defectu naturali, ſed alacritatis aut conſtantiæ, ſive perſeverantiæ.

Ignavia vitium eſt contrarium fortitudini & induſtriæ. Componitur ex In, id eſt, non, & Gnavus, induſtrius, fortis, &c. Eſt maximè deteſtandum in milite, ut per quod exercitus & Reſpublicæ nonnunquam in extremum diſcrimen adductæ fuerunt.

Athenæ perierunt ſecundùm oraculum ἡγεμόνων κακότητι, ductorum ignavia & pravitate.

Quæ autem per Principes aut doctores per Ignaviam committuntur, perpetuo illis dedecori eſſe ſolent. Sic in primo G Mutinenſi prælio Octavium juvenem relicto paludamento, & equo fugam arripuiſſe, tandemque poſt biduum apparuiſſe riſit & exprobravit Antonius. At ipſum Antonium poſtmodùm, Cleopatræ amoribus ignavum redditum & vecordem, ipſe ſuperavit maturior effectus.

Archilochum Poetam Lacedæmonii, quanquam genere Spartanus eſſet, urbe expulerunt, quòd carmen ſcripſerat, in quo oſtendi videbatur: Satius eſſe in prælio arma, quàm vitam amittere: nam eo doctrinæ genere arbitrati ſunt, homines ignaviæ atque timiditatis plùs habituros. *Fulg. lib. 6. c. 3.*

Nabathæis ſervatum legimus, ut negligens, remiſſus & otioſus, qui opes paternas ignavia minuiſſet, pœna multaretur. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 13.*

Sardoa lex in otioſos conſtituta eſt, quæ pœnas ignaviæ & ſocordiæ infligebat: & unumquemque laborum, victus, totiuſque vitæ rationem reddere cogebat. *Ælian. l. 4.*

Apud Argos ſi quis in re quærenda negligens foret & remiſſus, aut ſi deſidioſum aut ſegnem viderent: rationem, unde victum quæreret, apud magiſtrum, qui loco cenſoris erat, reddere cogebatur. *Alex. lib. 3. c. 3.*

H Cleopatra regina M. Antonium, magnum illum Imperatorem, dubio adhuc Marte cum Auguſto ad Actium pugnantem ſuo exemplo ad turpiſſimam fugam incitavit. Conſpecta enim fuga Cleopatræ, deſertis illis, qui pro ipſo certabant, quinqueremem conſcendens, inſecutus eſt eam. *Plut. in Ant. vita.*

Ferdinandus IV. Caſtellæ rex, Alphonſum filium hæredem & ſucceſſorem inſtituit, Jacobo primogenito abdicato, quòd contra Sardos rebellantes in Sardiniam à patre miſſus, expeditionem Sardiniæ, ſimul & regnorum ſucceſſionem recuſaſſet. *Tarapha de regibus Hiſpan.*

Diogenes, quibuſdam admirantibus carmen illud Heſiodi

ΟΥ'δ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

*Ne bos quidem pereat, etiamſi vicinus ſit malus.*

Atqui Meſſenii, inquit, ſimul cum bobus periere, vobis vicinis. Exprobravit Athenienſibus ignaviam, qui Meſſeniis vicinis adverſùs Lacedæmoniorum vim non fuerint opitulati. *Eraſmus lib. 8. apoph.*

Democritus interrogatus, Quare induſtrii ab inertibus differrent? reſpondit, Qua impii à piis: ſpe nimirùm bona. Laboribus quippè incumbens, ſuæ induſtriæ ſperat præmium A ampliſſimum: ignavus autem deſperans, nullam habet bonorum futurorum ſpem, qua fulciatur. *Max. ſerm. 31.*



Lyſander, Lacedæmoniis ſegniter Corinthiorum murum oppugnantibus, quum leporem faſſa vidiſſet exſilientem: Eos, inquit, timetis hoſtes, quorum ignavia lepores in muris dormiunt? *Plut. in Apoph.*

Themistocles, hominem cum equitatu venientem ad ludos Olympicos, vetuit certamen ſpectare. Interrogatus autem, cur hominem excluderet? Non æquum eſſe, reſpondit, ut is qui maximi periculi ſe ſocium non præbuiſſet, ad communem conventum ludicraque ſpectacula admitteretur. Notavit autem hominis in rebus præclarè gerendis ignaviam & oſcitantiam. *Aelian. lib. de var. hiſt.*

Scipio, cum in Alexandriam veniſſet, pedeſque urbem accederet: Rex autem cum aliis propter ignaviam corporiſque mollitiem vix incederet: Scipio ad Panætium ait, Jam Alexandrini aliquid voluptatis & fructus ex noſtra peregrinatione perceperunt; propter nos enim regem ſuum ambulantem viderunt. *Bruſ. lib. 3.*

B Nevius quidem cum iners ſocorſque eſſet, feſtivè per agnominationem Scipio in illum jocatus eſt; Quid, inquit, hoc Nevio eſt ignavius? *Bruſ. lib. 3. cap. 12.*

Q. Metellus dicere ſolebat, neſcire ſe, an ſua victoria plus boni an mali Reipublicæ attuliſſet. Notavit autem Romanorum poſt partam victoriam ignaviam, quæ multis malis januam aperuit. *Bruſ. lib. 4.*

M. Catonis perfrequens fuit ſententia: Nihil agendo, homines malè agere perdiſcere. Quo dicto execratur omnem ignaviam, quæ multorum malorum ſæpenumerò cauſa eſt. *Columel. lib. 12.*

Sigismundus Imper. cum ignavus ac otioſus homo fœneratores eo nomine plurimùm laudaſſet, quòd dormientes etiam pararent rebus lucrum: At tu, inquit Imperator, vigilando omnia conſumis. *Aen. Sylv. lib. 4. comment. in res geſt. Alphonſ. Regis.*

IGNAVIÆ POENA.

*Franc. Pic. Mir. Comes in vita Io. Pici patrui* ſcribit, non
C longo poſt obitum Jo. Pici tempore, ſpectrum Joannis apparuiſſe Hieronymo Savonarolæ, eique dixiſſe, torqueri ſe pœnis expiatoriis, eò quòd non ſatis diligenter & fœcundè talentum ſibi à Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicaſſet, & quia non quanti par erat, feciſſet internas Dei ſuggeſtiones inſpirationeſque, quæ adhortabantur honeſtos labores quos inchoarat non abrumpere, & quæ ſibi animo propoſuerat, ea inſtanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione propoſuit, & omnium precibus Picum commendavit. *Delrio diſq. mag. lib. 2. q. 76. ſect. 5.*

☞ *Plura petantur ex Loco de Pœna, & Punitione. Tit. ſingulari.*

*HIEROGLYPHICA.

Apud multos *Aſini* ſpecie ſignificatum eſt, Ignavia, quæ quidem cum omnibus ſit nota, ſuperfluum eſt eam latiùs explicare. *Pier. Valer. lib. 12.*

Expedita autem manus, & in propatulum prolata, ita opus, auctoritatem atque poteſtatem indicabat: contra verò nihili hominem, ignavum & otio deſidiaque torpeſcentem ſignifica-
D re ſi vellent, manus ejus in ſignum conſertas effingebat: Qui porrò ſtatus ignaviſſimi nebulonis eſt, cum præſertim Anaxagoras ideò ſapientiſſimum omnium animantium videri hominem dixerit, quia manibus inſtructus foret. *Pier. Valer. lib. 35.*

In ſacris litteris Ignavi deſignantur per Piſces, quia humore abundant; neque unquam Deo in veteri lege immolabantur. Obſervat *Corn. à Lap. comment. in c. 1. Lev.*

* Ignis.

QUID ET UBI. Ejuſque dignitas.

IGnis, Græcè ΠΥΡ. Unde πυρακτέομαι igneſco. Hebraicè *Eſch* à verbo *Anaſchm*, quod res conſumat, & proterat. Volunt Latinè derivari ab In & Gigno, quaſi quòd nihil gignat, ut notat *Ovid.*

*Nataque de flamma corpora nulla vides.*

*Varroni* tamen à gignendo, Ignem dici placuit, quòd per eum omnia producantur.



E Eſt autem ignis unum è quatuor elementis maximè efficax & activum, cujus locus eſt ſupra cætera elementa, & velut in loco proprio ad Lunæ globum reſidet, quod ſuadere videtur flammæ igniſque conatus in eum locum: eſt enim idem locus totius & partis. Unde *Manil. lib. 1. Aſtron.*

*Ignis ad æthereas volucer ſe ſuſtulit auras,*
*Summaque complectens ſtellantis lumina mundi,*
*Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.*

☞ *Videatur Tit. de Loco & Locatorum varietate.*

Ignis verò inter alia elementa, & natura & operatione eſt dignior. Unde & artium magiſter dictus à Veteribus, quòd ſit fons omnis caloris. Imò Cicero credidit, naturam noſtram eſſe ignem, *l. 2. de Nat. Deorum, & Ariſt. dicit 1. de Anima, c. 4.* Animam non operari, niſi interventu caloris. Sed & ſitu ipſo reliquis præſtat, elementa enim ſuperiora, digniora ſunt aliis.

*IGNEÆ IMPRESSIONES,

Quæ METEORA dicuntur, earumque varietas.

Sunt variæ Ignium concretiones, ſive impreſſiones, in aere nonnunquam apparentes, quibus varia nomina Philoſophi naturales indiderunt, cùm à ſimilitudine figuræ, quæ apparent, F tum ab effectis nonnullis.

Differunt autem inter ſe quantitate, motu, loco, tempore, figura, colore: materia proxima ſunt exhalationes, efficiens cauſa eſt aſtrorum virtus eas producens per calorem & frigus circumſtans.

Tales impreſſiones ſunt Flamma ſive Fax, Lancea, Capra ſaltans, Sellæ diſcurrentes, Ignis perpendicularis ſive pyramidalis, fatuus ignis, qui ex viſcoſis exhalationibus accenditur per antiperiſtaſin nocturni frigoris in infima aeris regione; Ignis lambens, Draco volans, Caſtor, Pollux, & Helena. De quibus *Plin. lib. 2. cap. 37.*

*IGNIS MULTIPLEX.

Et de Igne ſubterraneo.

Plato *in Timæo*, triplicem diſtinguit Ignem. Primum vocat, qui eſt in corpore ignito, puta ferro candente, vel carbone: Secundum, qui dicitur flamma, eſtque urens & lucens: Tertium, qui lucet & non urit, qualis eſt lux ſolis & ſtellarum; de qua Poeta, *Vos æterni ignes.*

Talis ignis erat lux illa, quæ ad modum columnæ, de nocte præcedebat in deſerto filios Iſrael: quam *Sapiens cap. 8.* vocat G Solem.

Eſt alius ignis artificialis, qui humana induſtria excitatur, colliſione certarum rerum, de quibus ſtatim; & aliter miniſterio materiæ combuſtilis, eaque abſumpta, etiam abſumitur.

☞ *Vide locum de Operis Mechanicis.*

Eſt inſuper Ignis ſubterraneus, qui in terræ ſpecubus gignitur, ex ſulphure & bitumine, ut exiſtimat *Georg. Agricola l. 4.* quibus ea loca abundant. Accenduntur autem iſti ignes ſpiritu terræ incluſo per antiperiſtaſin frigoris. Eſtque etiam magna illorum diverſitas, nam quidam materiam evomunt, alii incendia perpetua exhibent, alii per intervalla ardent, alii etiam proxima loca depaſcuntur, alii aerem noxium exhalant, prout prope Avernum in Italia, ubi mons nomine Modernus ſpiracula noxia effundit, quæ animalia viva exiguo tempore enecat.

In Hetruria mons eſt haud procul à Bononia, qui flammam & fumum exhalat noctu diuque.

Inſulæ Æoliæ in Sicilia ardent. Unde & Vulcaniæ dictæ *apud Strabonem lib. 6.* Ibidem eſt Mons Ætna tanto Poetarum & Hiſtoricorum elogio celebratus, cujus materia jam tot ſæculis H nunquam defecit, quin flammarum vortices eructet, igniumque globos latè ſpargat, adeò ut centena aliquot paſſuum millia cineribus ſive aduſtis arenis compleat.

In Cilicia ardentes foſſæ per camporum planiciem viſuntur.

In Babylone flagrat ſtagnum ingenti magnitudine.

In Islandia tres montes ſunt, quorum cacumina albicant perpetuis nivibus, & radices perenni æſtuant incendio.

In Inſula D. Georgii, quæ eſt una ex Inſulis Oceani, quas Tertias dicimus, erupit noſtra ætate ingens flamma, ut & ipſa ſaxa comminueret, homineſque & jumenta in cineres momento redigeret.

*QUÆNAM IGNEM EMITTANT.

Experientia teſte docemur, è ſilice ignem excuti, non tamen ex omni. Primus autem qui è ſilice ignem excuſſit, deſcribitur à *Plin. lib. 9. cap. 56.* Pyrodes Cilicis filius.

Idem *Plin. lib. 16. Natur. hiſt. cap. 40.* dicit, lignum, ſi ligno teratur, ignem emittere.

Item ſi folia lauri terantur hedera, ignem edunt, teſte eodem.